F. VINCENTII MARIAE
DINELLII
CATHEDRATICI CASANATENSIS
ORDINIS PRAEDICATORUM

A D

CAROLUM NOCETIUM
SOCIETATIS JESU THEOLOGUM

DE DANIELIS CONCINAE
In indicandis, describendisque Casuistarum locis summa fide, ac diligentia

EPISTOLAE.

ROMAE, MDCCLVI.
Apud Haeredes Jo: Laurentii Barbiellini.

SUPERIORUM FACULTATE.

NOS FR. VINCENTIUS MARIA FERRETTI

Sac. Theol. Professor, ac totius Ordinis FF. Praed. humilis Mag. Vicarius & Procurat. Generalis, & Servus.

Harum serie, Nostrique auctoritate Officii, quantum in nobis est, facultatem concedimus A. R. P. Magistro Fr. Vincentio Mariae Dinellio Provinciae Nostrae Romanae, Cathedratico Casanatensi typis edendi opus ab ipso elaboratum, cui titulus: *ad Carolum Nocetium Societatis Jesu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, describendisque Casuistarum locis summa fide, ac diligentia Epistolae*: dummodo a duobus RR. PP. Nostri Ordinis Sacrae Theologiae Professoribus praelo dignum judicetur, & serventur cetera de jure servanda. In nomine Patris &c. In quorum &c. Datum Romae in Conventu Nostro S. M. S. M. die 19. mensis Junii 1756.

Fr. Vincentius Maria Ferretti
Vicarius, & Procurat. Generalis Ord.

Reg. pag. 23.

Fr. Thomas Ignatius Maria Natta Mag. & Socius.

A P-

APPROBATIONES.

Jussu Reverendissimi Patris Fr. Vincentii Mariae Ferretti totius Ordinis Praedicatorum Vicarii Generalis legimus Librum, cui titulus est: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Casanatensis Ordinis Praedicatorum ad Carolum Nocetium Societatis Jesu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, describendisque Casuistarum locis summa fide, ac diligentia Epistolae.* In quo cum nihil offenderimus, quod fidei Catholicae, bonisque moribus adversetur, dignum judicavimus, qui typis ederetur. In quorum fidem &c.

Datum Romae in Aedibus S. Mariae supra Minervam die 19. Junii 1756.

Fr. Angelus Spannocchi Ord. Praed. Magister, & Prior Minervitanus.

Fr. Alexander de Tretis Ord. Praed. Sac. Theol. Lector.

De mandato Reverendiss. Patris Josephi Augustini Orsi Sacri Apostolici Palatii Magistri attente legi librum, cui titulus: *Fratris Vincentii Dinellii Cathedratici Casanatensis Ordinis Praed. ad Carolum Nocetium Societatis Jesu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, decribendisque Casuistarum locis summa fide, ac diligentia Epistolae*; cumque nihil offenderim, quod fidei, aut bonis moribus contradiceret,

quantum mea intereſt, typis mandari poſſe exiſtimo.

Datum Romae die 19. Junii 1756.

D. Maurus Aloyſius Belcredi Congr. Caſinenſis, Sac. Theolog. Lector.

J. M. J.

Juſſu Reverendiſs. P. Joſephi Auguſtini Orſi Ord. Praed. S. Palatii Apoſtolici Magiſtri, attente legi librum, cui titulus: *Fr. Vincentii Mariae Dinellii Cathedratici Caſanatenſis Ordinis Praed. ad Carolum Noctium Societat. Jeſu Theologum de Danielis Concinae in indicandis, deſcribendiſque Caſuiſtarum locis ſumma fide, ac diligentia Epiſtolae*; in quo nihil reperi, quod cum fide, boniſque moribus repugnet, atque adeo edi poſſe exiſtimo.

Ex Collegio S. Mariae de Victoria die 19. Junii 1756.

Fr. Eduardus a S. Xaver. Carmel. Excalc. olim Sac. Theologiae Praelect. nunc vero ſupremae Generalis Inquiſitionis Qualificator.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Pal. Apoſtol. Mag.

F. M. de Rubeis Patr. Conſt. Viceſg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendiſſimi Patris Mag. Sac. Pal. Apoſt. Socius.

EPI-

EPISTOLAE VII.
ARGUMENTUM.

CXLVII.

Docet Dinellius importunum Nocetii consilium fuisse, qui ut Concinam in malae fidei suspicionem adduceret, Veritatem vindicatam *scribere instituerit: non hunc enim, qui Thomam, qui Augustinum, qui reliquos maximae auctoritatis Magistros sequatur; sed probabilistas, qui horum pervertere sententias soleant, malae fidei esse accusandos.* CXLVIII. *De Moya ordine acturus, principio moleste se ait ferre damnati scriptoris sibi refutandam esse defensionem a Nocetio susceptam. Nam plane de Moya quid sentiendum, quantunque ei auctoritatis sit tribuendum, ex Ecclesiae scilicet de eo homine judicio constare.* CXLIX. *Tum demonstrare aggreditur quantopere Moya Bannesii de praecepti charitatis satisfactione doctrinam perverterit; quamque luculenter contorta ejus interpretatio a Baronio primum deinde a Concina fuerit explosa.* CL. *Refellit Nocetii argumenta, quibus is pugnarat recte Moyam, secus vero Concinam, Bannesii de eadem re locos exposuisse. Ea porro argumenta Nocetium ait fuisse a Guimenio mutuatum.* CLI. *At enim ea esse argumenta non levitatis solum, sed plena etiam injuriae. Bannesium enim pro speciali praecepto dilectionis Dei stetisse tam esse perspicuum, ut ejus sententia in adversam partem trahi*

sine

sine insigni injuria non possit. CLII. *Pergit deinde recensere Moyae peccata, quae is in exponenda Bannesii doctrina admisit.* CLIII. *Satis enim manifeste patere dicit, quid Bannesius senserit de Charitate, ex iis, quae de Fide, & Spei praeceptis copiose disputat.* CLIV. *Iis vero, quibus concludit Bannesius orationem suam, mirifice confirmari rectam Bannesii doctrinam: Guimenium vero, ut difficultatem effugiat omnia alia, quam quae ad presens institutum spectent, respondere.* CLV. *Nihil vero Nocetianae caussae prodesse dicit, quod Ledesma hanc Bannesio adscripserit opinationem. A Ledesma oscitanter fortasse lectam fuisse Bannesii disputationem; id de Moya, qui hoc in genere saepe deficiat, affirmari non posse: quum potissimum a Baronio confutatos errores non emendarit.* CLVI. *Vivam autem suo more agere, qui damnatam Tamburini Thesim Bannesio, & Serrae affinxerit: neque Ledesma, sed Moya auctore, suoque plane arbitratu Thomistas ejus sententiae auctores commentum esse.* CLVII. *Proponit caussas, cur ita sentiendum existimet de Viva: ceterum non dissimulare se ait Ledesmae in Bannesii opinione expendenda errorem: id se unum contendere, nonnisi invidiae caussa tanti ab Nocetio, & Moya fieri errantis Ledesmae auctoritatem.* CLVIII. *Serram autem, nonnisi vi, atque injuria ejus erroris insimulari, plane evincit.* CLIX. *Exponit opinionum monstra ab Casuistis excogitata: aitque haec non modo cum praecepto ipso, sed cum ratione quoque pugnare.* CLX. *Rursus querenti Nocetio, ab Concina tributam falso Moyae fuisse opinionem negantem, eleemosynas impertiri egentibus oportere: respondet, illiberale esse id, cui jam factum satis ab Concina sit, rursus recoquere.* CLXI. *At vero plus in hoc genere peccasse Moyam, qui idipsum S. Antonino affinxerit.* CLXII. *Non vero Serram, quasi Antonini*

nini locos perverterit, erroris caussam Moyae praebuisse, quem invidiae effugiendae caussa laudarit: ex iis, quae Moya scribit constare satis, lectum ab eo Antoninum in fonte fuisse. CLXIII. *Antonino Moyam aliam perperam tribuere laxitatem docet, quae est de non sublevando paupere, gravi presso necessitate.* CLXIV *Tertium de Moya agit: quidque de hoc Concina, rursusque de Concina Nocetius scribat expendit. Agitur autem irritum ne fiat votum castitatis, ob supervenientes libidinis tentationes: itaque ostendit Dinellius, affirmantem sententiam, Thomae, ac Thomistis falso tribui.* CLXV. *Irritum porro ejusmodi votum fieri quum Moya plane docuerit, injuste expostulari de Concina Nocetium, qui Moyae laxitatem mitigaverit.* CLXVI. *Solvit Moyae argumenta duo, quae licet levissima sint, ab eo tamen magnifice jactata sunt.* CLXII. *Quartam Concinae in Moyam ipsum, ut Nocetius scribit, imposturam refellit: contenditque parvi interfuisse Concinae contra Lutheranum scribenti Moyam, & Terillum calumniari, qui uni juniori probabilitatis constituendae auctoritatem adjudicarint, cum non desint Casuistae plerique, qui id omnino docuerint, quorumque sit damnata ab Ecclesia propositio.* CLXVIII. *Ceterum Moyam id omnino sensisse efficit.* CLXIX. *Id eum porro aliis Doctorum testimoniis confirmare.* CLXX. *Quod Nocetius jactat Moyam Historici functum esse officio, frustra proponi: Eusebium namque Eranistem ostendisse satis quid ille præstiterit.* CLXXI. *Id ipsum autem plane ex iis, quibus Moya concludit disputationem luculentissime confirmari.* CLXXI. *Ad Terillum descendit, cujus est eadem causa: primumque docet ludere hunc verbis, resque implicare, ut plane suspicari liceat, eum etiam post Alexandri VII decretum in ea sententia mansisse,* CLXXIII. *Sed haec aperte ex Terilli de con-*

conscientia tractatu patere; ubi expresse damnatam propositionem docuit. CLXXIV. *Roccafull autem, ex quo damnata haec hausta sit Thesis, omnino cum Moya, Terillo, atque Sanchesio convenire.* CLXXV. *Postremo de Moya agens, hunc dicit falso Thomae, ac Thomistis (prout fuerat ab Concina animadversum) opinionem tribuisse, qua mutuantibus fas esse dicitur aliquid ultra sortem exigere.* CLXXVI. *Ostendit deinde, debuisse Moyam potius ex Cajetano, quem legerat, & huic sententiae repugnare viderat, quam ex Ledesma colligere, quae esset in hac controversia Thomistarum doctrina; sed, ut falsam opinionem omnibus Thomistis tribueret, maluisse Ledesmae, quam Cajetani uti testimonio.* CLXXVII. *Respondet Nocetii Cantilenae de reprehensis ab Concina Jesuitis, & praeteritis Dominicanis, multaque disserit adversus Nocetium, quod asseruerit, non refellisse Concinam Jesuitas, quin fere semper refellere posset Dominicanos.* CLXXVIII. *Hoc falsum esse confirmat ex eo, quod in decreto Alexandri VII. contra opiniones Casuistarum non obscure laudentur Dominicani, quippe qui errata suorum defendere non soleant.* CLXXIX. *Respondet de Paschali, & Wendrochio, quos ab Concina lectos dicit Nocetius; demonstratque, errare magnopere Nocetium, qui velit, sumpsisse Concinam ex Paschali, & Wendrochio id, quod saepe scribit, de renovatis opera Casuistarum veterum Scholasticorum erratis; cum idem in decreto Alexandri VII, quod Concina saepe legit, perspicue reperiatur.* CLXXX. *Concludit, si Concina eam rem ex Paschali, & Wendrochio sumpsisset, non idcirco caussam fuisse Nocetio conquerendi, cum ridiculum sit, exprobari cuipiam lectionem Paschalis, & Wendrochii ab eo, qui Moyam legat, & defendat damnatissimum Casuistam.*

FR.

FR. VINCENTIUS MARIA

DINELLIUS

ORDINIS PRAEDICATORUM

CAROLO NOCETIO

SOCIETATIS JESU

S. P. D.

CXLVII.

QUum jam majorem libelli tui partem expenderim, omnemque imposturae, & malae fidei suspicionem non extenuarim modo, sed etiam omnino dispulerim, illud omnes, qui has ad te meas epistolas legent, intellecturos puto, nihil aliud demum istam tuam *veritatem vindicatam* continere, nisi veterem cantilenam de male exscriptis, vel astute depravatis

X aucto-

auctorum sententiis, quae quidem tota ex eo pendet, ut, quoniam eaedem falsae sunt, & defendi nullo modo possunt, distineatis saltem vulgus imperitum, quominus assentiatur iis, qui ab libris Casuistarum, eorumque opinandi licentia cavendum praedicant, existimetque non pro aris & focis, sed pro Christi doctrina depugnari. Sed quamquam ejusmodi artificium nonnunquam Casuistis profuerit, multorumque animos nonnihil retardarit, quominus fidem haberent iis, qui Probabilistarum dogmata oppugnarent, nihil tamen erat caussae, cur idem adversus Concinam quidquam valiturum sperares. Nam, ut ea nunc praetéream, quibus initio demonstravi, ne verisimile quidem esse quod Concinae obiiceres de corruptis Casuistarum testimoniis, illud sane cogitare debueras, non cum uno solo Concina tibi rem futuram, (quamquam ne solus quidem vinci potuisset) sed etiam cum iis, qui essent illi instituti societate conjuncti, qui sibi dedecori fore putantes, si virum innoxium, atque innocentem gravissimo accusationis genere appetitum deservissent, cum voce tum scriptis ejus fidem, & innocentiam, opusque ipsum christianae Theologiae, in quo morum dogmata ex Thomae doctrina egre-

egregie explicarentur, essent defensuri. Quod si futurum non providisti, contraque *Veritatem vindicatam* nostrum neminem dicturum putasti, vehementer te quidem fefellit opinio tua. Nam contra sic habeto, tulisse plerosque omnes iniquo animo, accusari abs te hunc nostrum eorum criminum, quorum non solum ipsum expertem esse cognossent, sed ne ullum quidem habere se domi dicerent magistrum, & fautorem. Commemorabant qui in his rebus versati erant pleraque Tamburini, Dicastilli, & aliorum de veritate dicenda falsa dogmata, quorum fautores multo justius, quam studiosum Thomae, Antonini, Alberti, Raimundi, qui cum de universa morum Theologia, tum praesertim de mendacio vitando rectissime, verissimeque scripserunt, in suspicionem malae fidei & imposturae vocari posse dictitabant. Addebant, nihil opus esse verbis, cum jam Viva & Moya documento essent apud quos malae fidei, & imposturae exempla reperiantur. Recte facturos Dominicanos si dent operam, ut omnes intelligant qua fide egerint hi duo Casuistae cum Thomistas laudarunt in subsidium suarum opinionum, aut cum eas, quae damnatae sunt, explicandas susceperunt, ut veri agnoscantur errorum fautores, & qui

alios jamdudum temere accusant malae fidei, intelligant se non injuria condamnari eodem crimine.

Itaque suscepi ego his vocibus permotus Concinae defensionem, cumque jam vicerim, injuria questum esse te de ejus fide in indicandis, describendisque Casuistarum locis, evincam modo, quoniam ordo postulat, ut de Moya potissimum agam, non injuria queri Dominicanos de ejus fide, cum in opere, quod inscripsit: *Amadei Guimenii &c.*, & in altero *select. disp. &c.* non aliquem similem sui, Sanchesii, aut Tamburini Casuistam, sed Thomam, Antoninum, Cajetanum, alios Thomistas in subsidium vocat falsarum opinionum. Tuum erit, cum huic epistolae respondebis, ut ego Concinam, ita Moyam ab his criminibus liberare, quorum tanta confidentia adversarios vestros accusare soletis, ut mirum sit, nihil vos in eorum libris centum ab hinc annos nisi imposturas repetire potuisse.

CXLVIII. Equidem magnopere indignor, & inique fero, hanc abs te mihi impositam esse necessitatem, ut de tali Casuista, quem contemnere debeo, sermonem instituam. Qui enim potuit Concina ulla injuria afficere velle Casuistam, quem semel & iterum ab Roma-

manis Congregationibus damnatum, tertio tandem singulariDecreto proscripsit,ejusque operis exempla comburi jussit Innocentius XI.? Utrum, si eum malum esse Casuistam demonstrare voluisset, non plus uno Innocentii Decreto,in quo deterrimus judicatur, quam uno alterove errore,quem illi falso attribueret,consequi potuisset?Quando tamen tu eum dignum putasti, quem non solum nominares,sed etiam una cum aliis vindicares, auctoremque *Christianae Theologiae* in eo laedendo nonnihil studii posuisse diceres, recusare non possum, quin ad ea, quae opponis, accurate respondeam. Respondebo igitur, quoniam ita vis, tibi de Moya; sed si te quaedam audire taedebit, puta nullam in eo fuisse fidem, hominemque fuisse, quem non puderet de se ipso mentiri, non in me sane, qui ad rogatum respondere cogor,sed in te ipsum, qui de eo tacere noluisti, culpam conferre debebis. Sed ut nihil tibi nimis aspere in Moyam dictum videatur, prius audias oportet Innocentium XI. sententiam de eo ferentem; ex qua facile intelliges, quemadmodum tractari conveniat Casuistam, quem Romanus Pontifex, cujus est gravissimum judicium, singulari Decreto proscribendum duxerit, perviciosaeque doctrinæ fautorem appellarit. X 3 IN-

INNOCENTIUS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

„ CUM (ſicut accepimus) liber qui-
„ dam, cui titulus: *Adverſus quorum-*
„ *dam expoſtulationes contra nonnullas Jeſui-*
„ *tarum opiniones morales, auctore Amadeo*
„ *Guimenio &c. Bambergae, & Panormi*
„ *anno 1657., impreſſus, & ſubinde Va-*
„ *lentiae, Lugduni, & Madriti anno 1664.*
„ additis nonnullis aliis opinionibus non
„ ſanis, ſub alio titulo, videlicet: *Ama-*
„ *dei Guimenii Lomarienſis, olim Primarii*
„ *ſacrae Theologiae Profeſſoris, opuſculum,*
„ *ſingularia univerſae fere Theologiae mo-*
„ *ralis complectens, adverſus quorumdam*
„ *expoſtulationes, contra nonnullas Jeſuita-*
„ *rum opiniones morales*, typis recuſus,
„ non ſolum die 5. Aprilis 1666. a Con-
„ gregatione tunc exiſtentium S. R. E. Car-
„ dinalium indici librorum prohibitorum,
„ & expurgandorum praepoſita, ſed etiam
„ die 12. Septembris 1675. a Congregatio-
„ ne ejuſdem S. R. E. Cardinalium in tota
„ Republica Chriſtiana contra haereticam
„ pravitatem Generalium Inquiſitorum a
„ S. Se-

„ S. Sede Apostolica specialiter deputato-
„ rum iterato prohibitus fuerit; & nihilo-
„ minus nonnulli propriae salutis immemo-
„ res Librum eundem legere, & retinere
„ damnabili lectione, usu, & praxi prae-
„ sumant. Nos, quibus gregis sui curam
„ commisit Altissimus, periculis animarum,
„ quae ex usu, & praxi perniciosae doctri-
„ nae dicto libro traditae infici, & in aeter-
„ nae salutis detrimentum adduci possent,
„ pastorali charitate occurrere cupientes,
„ motu proprio, & ex certa scientia, &
„ matura deliberatione nostris, deque Apo-
„ stolicae potestatis plenitudine librum
„ praedictum sub utroque supra expresso,
„ alioque quocunque titulo, nomine, &
„ idiomate; sive in praedictis, sive in aliis
„ quibusve locis, hactenus typis impres-
„ sum, ac etiam manu descriptum, & quan-
„ documque (quod absit) imprimendum,
„ & describendum tenore praesentium
„ damnamus, reprobamus, & denuo pro-
„ hibemus, ac pro damnato, reprobato,
„ & prohibito haberi volumus, illiusque
„ impressionem, descriptionem, lectionem,
„ retentionem, & usum omnibus, & sin-
„ gulis Christifidelibus, etiam specifica,
„ & individua mentione, & expressione di-

 „ gnis,

„ gnis, sub poena excommunicationis per
„ conrrafacientes, ipso facto absque alia
„ declaratione incurrenda, a qua nemo a
„ quoquam, preterquam a nobis, seu Ro-
„ mano Pontifice pro tempore existente,
„ nisi in mortis articulo constitutus, abso-
„ lutionis beneficium valeat obtinere, o m-
„ nino interdicimus. Porro quicumque li-
„ brum hunc penes se habuerit, illum sta-
„ tim, atque presentium literarum notitia
„ ad eos pervenerit, locorum Ordinariis, vel
„ haereticae pravitatis Inquisitoribus tra-
„ dere, atque consignare teneatur; hi vero
„ exemplaria sibi sic tradita flammis aboleri
„ curent, in contrarium facientibus non ob-
„ stantibus quibuscumque. Ut autem eae-
„ dem praesenres literae ad omnium noti-
„ tiam facilius perducantur, nec quisquam
„ illarum ignorantiam allegare possit: vo-
„ lumus, & auctoritate Apostolica decer-
„ nimus, ut illae ad valvas Basilicae
„ Principis Apostolorum, ac Cancellariae
„ Apostolicae, & in acie Campi Flore de
„ Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris,
„ ut moris est, publicentur, illarumque
„ exempla ibidem affixa relinquantur: sic
„ autem publicatae omnes, & singulos, quos
„ concernunt, perinde afficiant, ac si uni-

„ cui

,, cuique illorum personaliter notificatae,
,, & intimatae fuisent. Utque ipsarum
,, praesentium literarum transumptis, seu
,, exemplis, etiam impressis manu alicujus
,, Notarii publici subscriptis, & sigillo per-
,, sonae in Ecclesiastica dignitate constitutæ
,, munitis, eadem prorsus fides, tam in ju-
,, dicio, quam extra illud ubique locornm
,, habeatur, quae eisdem praesentibus ha-
,, beretur, si exhibitae forent, vel osten-
,, sae: Datum Romae apud S. Mariam Ma-
,, jorem, sub annulo Piscatoris, die 16.
,, Septembris 1680. Pontificatus nostri an-
,, no quarto.

,, J. G. Slusius.

,, *Die 25. Septembris 1680. supradi-*
,, *ctae literae Apostolicae affixae &c.* ,,

Considerate nunc etiam atque etiam qualem, & quam dirum in modum damnatum defendatis Casuistam, quem ne nominare quidem deberetis, ne rationem hujus Decreti nullam habere videremini. Scio, vos respondere solere, nihil Moyam in eo libello approbasse, nihil affirmate pronunciasse, sed tantum historici functum esse officio, & ex variis auctoribus plerasque morum sententias collegisse. Sed nihil dici potest minus Moyae instituto conveniens, & quod magis

gis abhorreat ab consuetudine Romanorum Pontificum, qui ejusmodi libros, qui tantum *indices* contineant falsarum opinionum, nunquam damnare consueverunt. Sed cum dixerit hac de re satis accurate Eusebius Eranistes Epistola 38. num. 23. & 24. mihique dicendum sit opportuno loco: nunc tantum expendite Operis Guimenii inscriptiones, quae initio Decreti proferuntur, & ex iis consilium Moyae in eo libello perscribendo facile intelligetis. At negari non potest, inquies, Moyam in subsidium earum sententiarum Thomistas adduxisse. Id quidem negari non potest. At ne illud quidem negari potest, eum, cum id praestitit, nullam bonae fidei habuisse rationem, & per summam injuriam eas sententias Thomistis tribuisse; quod mirum est vos adhuc non videre, eumque libellum modo in Dialogis, modo in Epistolis totum exscribentes, easdem morum sententias, quae in vestris Casuistis reprehenduntur, Thomistis probatas esse vociferari. At licebit vobis ex hac epistola fidei Moyae specimen capere, ut deinceps in eo legendo cautiores sitis. Nam, si opus erit, non deerit, qui eum accurate refellere, omnesque ejus fraudes patefacere instituet.

CXLIX.

CXLIX. Itaque primum foeda illa, & omnium falsissima occurrit sententia, quam tribuit Bannesio, *speciale* non esse praeceptum charitatis, ipsumque per se non postulare, ut aliquando Deum diligamus. Quod enim scripsit Bannesius 2. 2. quaest. 44. art. 1. dub. 1. conclus. 3. „ Nihilominus dico 2. „ quod sine scrupulo credi potest, quod „ qui digne sumit Eucharistiam semel in „ anno, adimplet simul speciale praece- „ ptum charitatis „. Quod, inquam, hoc modo scribit Bannesius, sic interpretatur Amadeus Guimenius, ut eum nihil aliud voluisse dicat, nisi sola Eucharistiae sumptione praecepto chariratis satisfieri; ex quo fit consequens, tolli praeceptum charitatis, vel ipsum per se nullam imponere homini christiano necessitatem diligendi Dei. Nam „ cum Eucharistia, inquit Tract. de „ charit. propos. 1. n. 2. semel in anno quo- „ libet digne sumi possit, quin praecedat „ actus specialis charitatis, sola confessio- „ ne ex animo attrito procedente, videtur „ Magister Bannez commutasse praeceptum „ speciale charitatis in praeceptum sumen- „ di Eucharistiam, quod est aequivalenter „ illud negare „. *De Moya.*

Eadem scribit, & confirmare nititur

in

in select. disput. tract. 6. qu. 11. §. 2. & 3. Verum quam sit inepta, atque impudens haec cavillatio, paullo post intelliges. Nunc quid Concina scripserit contra Amadeum, quidque tu Concinæ opponas, videamus. Negat is Tom. 1. pag. 285. & 339. eam esse quam Moya dictitat, sententiam Bannesii, postremoque loco scribit hoc modo: „ Praeterire
„ hic minime valeo imposturam, quam Pa-
„ ter Moya tract. 6. disp. 6. quaest. 11. §. 2.
„ & 3. impingit Magistro Bannez, qui
„ conceptis verbis docet mandatum chari-
„ tatis speciale esse, pluries in vita urgere,
„ & potissimum splendente primo rationis
„ lumine. Deinde subdit difficile satis esse
„ tempora definire praecisa, in quibus ur-
„ get. Putat tamen eos, qui sumunt Eu-
„ charistiam semel in anno implere praece-
„ ptum istud. Cujus sensus non est, ut cavil-
„ latur Moya, quod sumptio ipsa Sacra-
„ menti sit observantia praecepti; sed quod
„ fieri vix potest, ut fideles accedant ad
„ hoc divinum convivium, quod ultimum,
„ & supremum est divini in nos amoris ar-
„ gumentum, quin redament Deum illum,
„ qui se in eorum alimentum praebet....
„ Non vacat longiorem pro Bannesio defen-
„ sionem adornare, cum satis superque il-
„ lum

„ lum a cavillis P. Moyae asseruerit Vin-
„ centius Baronius „ . Ecce vetus est haec controversia . Jam dudum .enim ostenderat hic Theologus , non sic accipi debere , ut Moya interpretatur , sententiam Bannesii . Baronio ita respondit Moya , ut nemo , nisi Theologiae imperitissimus,probare possit ea, quibus interpretationem suam confirmare , & veram Baronii refellere conatur . Quod quidem hac mea Concinae, & Bannesii defensione declarabitur . Tu tamen omnia dissimulans ita rem proponis , ac si vetus controversia non esset , sed Concina primum isto modo Bannesium interpretatus esset , & Moyae interpretationem refellisset : „ Dico,
„ inquis c.*6*.,sensumMagistri Bannez ipsum
„ esse, quem illi attribuit Moya , non vero
„ quem pie meditatus est P. Concina „ .

Hic ego fidem requiro tuam ; nam Concina nihil ab se meditatum scripsit , sed a Baronio sumpsit Bannesii interpretationem , & summa argumentorum capita: quod si abs te , ut par erat , expositum fuisset , nullus esset invidiosae querelae relictus locus ; neque enim minus ei licuit Baronii dicta, sententiamque tueri, quam tibi licuerit, quae hic opponis , omnia sumere ex Amadeo Guimenio, cui quidem ita assensus es , ut pau-

paucis ex eo delibatis argumentis, ſtatim ad Concinam accuſandum acceſſeris, & de Banneſio legendo,& re tota accurate cognoſcenda ne per ſomnium quidem cogitaris ; aut certe firma Concinae , & Moyae infirma argumenta diſſimularis . At ego non committam , ut poſſis me hujus negligentiae nomine accuſare , ſic enim agam , ut omnia Moyae argumenta diligenter expendam , & huic controverſiae , ſi fieri poteſt , finem imponam .

CL. Itaque ais tu primum,verba Banneſii ad id , quod Moya , non ad id , quod Concina interpretatur , eſſe accomodata : deinde Concinae interpretationem nullo niti fundamento : tertio Banneſium debuiſſe ipſum per ſe , & vero facile potuiſſe , eum ſenſum , quem Concina defendit , explicare , omnino tamen non explicaſſe : denique P. Ledeſma part. 2. tract. 3. cap. 5. ita locum Banneſii accepiſſe , ut a Moya intellectus fuit ; „ Sexta ſententia aſſerit , eum „ qui digne ſumit Euchariſtiam ſemel in „ anno , adimplere ſimul ſpeciale praece- „ ptum charitatis : ita ſentit Magiſter Ban- „ nez loc. citato Sancti Thomae . Sed hic „ modus dicendi videtur mihi valde diffici- „ lis , quia praeceptum de diligendo Deo „ lon-

„ longe diversum est a praecepto sumendae
„ Eucharistiae; ergo per ejus sumptionem
„ non adimpletur praeceptum charitatis „.

His argumentis, quae Moyae, non tua sunt, efficere te posse putas esse Moyae, non Concinae assentiendum. At si locum Bannesii, de quo est quaestio, attente legisses nihil his argumentis imbecillius, &, pace tua dixerim, ineptius dici posse cognosses, neque tam confidenter Concinae interpretationem, quae vult, Bannesium non de sola Eucharistiae sumptione, sed de amore Dei, qui cum ea conjungi debet, esse locutum, legitimam esse, firmisque fundamentis niti negasses. Quando ergo quae tuarum erant partium omisisti, ego supplebo. Recita sententiam Bannesii „ Tertia conclu-
„ sio praeceptum dilectionis Dei superna-
„ turalis speciale praeceptum est, & maxi-
„ mum & primum mandatum. Probatur
„ conclusio, & primo quidem &c. „

Hic Bannesius diserte docet, diligenterque constituit, *speciale* omnino, distinctumque a ceteris esse praeceptum charitatis. Quod quam sit ad id, quod volumus, appositum, quamque ei, quod Moya intelligit, adversetur, non est necesse pluribus declarare. Nosti enim, Theologos illud dicere

re *speciale* praeceptum, quod ipsum per se adstringit, neque eo servatur a nobis, quod aliis praeceptis obtemperemus; sed eo, quod agamus omnino id, quod eo praescribitur. Quare non potuit Bannesius, cum ait, satis facere praecepto charitatis eum, *qui digne sumit Eucharistiam semel in anno*, aliud velle, nisi, quod Concina interpretatur, præceptum charitatis impleri modo cum Eucharistiae sumptione Dei dilectio conjungatur.

Quid tu ad haec? Quid Moya? Mira utriusque cavillatio in hoc fundamento convellendo: Tu quidem pag. 11. „ pia, inquis, „ meditatio P. Concinae nullo nititur fundamento. Quod enim Bannez doceat, „ mandatum charitatis speciale esse, & saepius in vita urgere, nihil evincit. Contenditur enim, sensum Magistri Bannez hunc „ ipsum esse: *Quamvis mandatum charitatis speciale sit, & pluries in vita urgeat „ nihilominus sumptio Eucharistiae semel in „ anno supplere potest & compensare dilectionem praeceptam, & mandati obligationem „ extinguere*.

Hoc est, Noceti, non Theologi explicare sententiam, sed ea, quae bene constituta sunt, tuo arbitratu pervertere. Nam cum negare non possis, ita disputatum a Ban-

Bannesio de praecepto charitatis esse, ut speciale, distinctumque ab ceteris esse constituerit, idque pugnare cum eo, quod Moya intelligit de sola Eucharistiae sumptione, quo tandem modo in sententia Bannesii utrumque conjungis? Aut enim non dicis plane, quod intelligam, aut hoc dicis, Bannesium & praeceptum charitatis *speciale* esse, & nihilominus ei sola Eucharistiae sumptione obtemperari, docuisse. Quod cur dicas minus intelligo: neque enim Theologi est non videre, quod omnes vident Theologi, ita haec duo pugnare inter se, ut in unam sententiam convenire non possint. Nam primum hanc habet vim, ut praecepto charitatis, nisi Deum diligendo, satisfieri non posse significet: alterum huic quam maxime adversatur, eoque praecepto non diligendi Dei, sed aliis praeceptis obtemperandi necessitatem nobis imponi contendit. Sed haec duo inter se pugnantia sensisse Theologum, qui primum clare, explicateque constituit, omnique argumentorum genere propugnavit; alterum non dixit quidem, sed duobus, tribusve de fece Casuistis dixisse visus est, sine summa injuria affirmari non potest.

CL. Idem, quod tu, sed paullo clarius

rius contendit Guimenius. Nam cum loc. quem supra descripsi ex tract. de charitate, tum in selectis disput. loc. ab Concina cit. §. 3. „ videtur, inquit, Magister Bannez commutasse praeceptum speciale „ charitatis in praaceptum digne sumendi „ Eucharistiam quod est aequivalenter illud „ negare. Quae consecutio legitima est, &, „ (ut notat Dicastillo de Poenit. disput. 3. „ num. 4. & 95.) ex Bannez sententia in„ fertur praeceptum speciale charitatis ces„ sare in eo, qui aliunde est justificatus; „ quod hodie asserere, aeque nefas est „.

Ut intelligas, Noceti, hujus Moyae & superioris tuae cavillationis insulsitatem, primum id, quod clarum & perspicuum est, secerne ab eo, quod est ambiguum, sive in controversia positum. Perspicuum est, Bannesium velle praeceptum charitatis *speciale* esse; id enim diserte statuit, & operose demonstrat. Ambiguum autem, & id, de quo quaerimus, est, quid senserit Bannesius, cum ait, praecepto charitatis satisfieri ab eo, *qui digne sumit Eucharistiam semel in anno*. Deinde reminiscere id, quod scribit Tullius in secundo de inventione libro: ex superiore, & ex inferiore scriptura docendum id, quod quaeratur, fieri perspicuum;

cuum; nam facile intelliges, vos huic praeceptioni, quam pueros docere debetis, non obtemperare; sed ex eo, quod quaeritur, & ambiguum est, ad id, quod in superiore, & inferiore scriptura pespicuum est, convellendum accedere. Non enim ea verba, in quibus inest illud ambiguum, de quo quaeritur, ex reliqua Bannesii oratione, sed magis hanc orationem ex iis verbis vestro modo intellectis interpretari conamini. Et vero quo argumento, qua firma ratione efficitis, Bannesium, cum ait, servare praeceptum charitatis eum, *qui digne sumit Eucharistiam semel in anno*, de sola Eucharistiae sumptione esse locutum, ut, hoc probato, concludere possitis, eum, quod aperte diligenterque constituerat, improbasse, & praeceptum charitatis, quod speciale esse dixerat, in commune convertisse? Hic animum adverte, Noceti, & diligenter considera, quid proferat Guimenius, quid ipse non videris esse ineptissimum? Unum, omnibus perlectis, reperire potui ejusmodi argumentum, quod ex Amadeo Guimenio tract. de charitate prop. 1. supra descripsi: Eucharistiam digne sumi posse semel in anno *quin praecedat actus specialis charitatis sola confessione ex animo attrito procedente*. Hinc

 enim

enim concludit Amadeus, Bannesium in sententia non stetisse, praeceptumque speciale charitatis in commune, nescio quomodo, convertisse. Sed inepta atque impudens, ut dixi, est haec argumentatio: quod viri sapientes minime negabunt; quin immo ex ea perbelle conficitur, ut paullo post intelliges, eam esse, quam Concina exponit, sententiam Bannesii. Inepta est quidem, quia ex eo, quod adversarii non est, nec quidquam adversus eum concludi, nec recte ejus dicta explicari possunt. Locum enim desidero, ubi Bannesius doceat, Eucharistiam rite cum sola *attritione* sumi posse, aut talem, ex quo ita sensisse demonstretur. Nullum proferet Guimenius. Nihil enim a Bannesio de hac controversia scriptum reperio; neque dubito, quin, si scripsisset, futurus fuisset in sententia aequalium Theologorum, qui ab ea, quae probat *attritionem*, magnopere abhorrebant. Quod si Amadeus ex eo, quod probatur haec sententia novis Casuistis, arguere se posse putat contra Bannesium, vel ejus sententiam explicare, vehementer errat. Cujus enim est judicii ex novis opinionibus, veterum dicta interpretari velle; & quod ipsis incognitum, aut minime probatum fuit, id

ipsum

ipſum ad eos refellendos, aut erroris convincendos aſſumere?

CLI. Eſt etiam in argumentatione Guimenii plurimum impudentiae. Nam etiamſi daremus, ab ea ſententia non abhorruiſse Banneſium, quae ſolam probat *attritionem*, inde tamen non eſset conſequens, eum ſatisfieri voluiſse praecepto charitatis, etiamſi Euchariſtia cum ſola *attritione* ſumeretur. Quin immo ex doctrina Banneſii tam aperte colligitur, praecepto charitatis non obtemperare eum, qui iſto modo Euchariſtiam ſumeret, ut a ſolo Guimenio diſſimulari poſset. Id cum oſtendo, alterum fundamentum propono Concinae interpretationis. Itaque adverte animum, & attende, utrum Banneſius ſatis explicate docuerit, tunc Euchariſtiae ſumptione ſatisfieri praecepto charitatis, cum non eſt ſejuncta ab Dei dilectione. Poſtquam enim oſtendit, praeceptum charitatis eſse ſpeciale, contraria ſolvit argumenta, & in tertio diluendo diſserens de tempore, quo huic praecepto obtemperari convenit, ſcribit hoc modo:
„ Sotus ... item dicit, quod in baptiſmo im-
„ pletur iſtud praeceptum, quia tunc homo
„ dat nomen ſuum in militiam Chriſti. Sed
„ tamen non video, quomodo tunc ſpeciale

 „ prae-

„ praeceptum charitatis adimpleatur: quo-
„ niam parvuli habitualiter amant, ſicut
„ & credunt: *adulti vero cum ſola attritio-*
„ *ne digne ſuſcipere poſſunt ſacramentum*
„ *Baptiſmi*: ergo in ſuſceptione Baptiſmi
„ non adimpletur ſpeciale praeceptum dile-
„ ctionis Dei, quoniam praeceptum illud
„ non obligat ad habitum, ſed ad actum. Et
„ confirmatur. Quoniam receptio ſacramen-
„ ti pertinet pecialiter ad virtutem Reli-
„ gionis, & ideo indigna receptio dicitur
„ ſacrilegium „. Quid clarius? Quid di-
ſertius? Quid luculentius ad id, quod volu-
mus conficiendum; poſtulare Banneſium,
ut praecepto charitatis ſatisfiat, ipſam
Dei dilectionem? Quis cum haec legerit,
praeter Nocetium & Guimenium, quae-
rere poteſt, ubi ſint fundamenta, qui-
bus Concinae nitatur interpretatio, vel
etiam cavillari, Banneſium in re tam gravi
obſcure eſse locutum, aut nullo modo Dei
dilectionem indicaſse? Qui negat ſuſceptio-
ne Baptiſmi ſatisfieri praecepto charitatis,
eo quod Baptiſmus rite cum ſola *attri-
tione* ſuſcipi poſſit, is non poſtulat diſerte
charitatem? idem, cum ait, Euchariſtiae ſum-
ptione huic praecepto ſatisfieri, putandus
non eſt Dei dilectionem cum Euchariſtiae

ſum-

ſumptione voluiſse conjungi; aut, niſi conjungatur, nullo modo ſatisfieri praecepto charitatis? Neſcire me fateor quid remquamque conſequatur, niſi ex Banneſii contra Sotum argumentatione id, quod volumus, neceſsario conſequatur.

CLII. Haerere mihi videris,& jam cernere, Concinam neque ineptum Banneſii interpretem, neque injuſtum Moyae eſse criminatorem. Sed magis ſenties quam deſperatam cauſsam ſuſceperis cum te obruero novis peccatis Amadei Guimenii, qui Banneſii contra Sotum argumentum in ipſum Banneſium contorquere conatur, ut, quam ſemel commentus eſt, factam ab eo probet unius praecepti in aliud commutationem. Nam cum loc.cit. ſelect. diſput. Banneſium contra Sotum,ut ſupra oſtendi,arguentem induxiſſet:
„ Haec Bannes, inquit, quae in illum cum
„ Amadeo ſic urgeo. Adulti cum ſola at-
„ tritione digne ſuſcipere poſsunt Eucha-
„ riſtiam; ergo in ſuſceptione Euchariſtiae
„ non adimpletur praeceptum dilectionis
„ Dei. Ergo ſi ad aliter adimplendum non
„ tenetur, evidens eſt ſpeciale praeceptum
„ charitatis, aut ceſsare in eo, qui aliun-
„ de juſtificatus eſt, aut in praeceptum di-
„ gne ſumendi Euchariſtiam eſse commuta-

„ tum: ergo vel argumentum M. Bannez „ contra Sotum nullum eſt, aut Amadei „ contra Bannez aperte concludit „.

Paucis verbis tria magna peccata. Primum peccatum eſt, quod ſumit ad concludendum id, quod adverſarius nullo modo concedit: illud enim: *adulti cum ſola attritione digne ſuſcipere poſsunt Euchariſtiam*, cujus eſt? Amadeine an Banneſii? Nam ſi Amadei eſt, illud ſibi retineat, & intelligat, ridiculum eſse ex eo, quod ſuum eſt, adverſarium velle configere. Sin autem Banneſii, hoc primum demonſtret Amadeus, & poſtea ad arguendum accedat. Sed numquam, ut dixi ſupra, Banneſium in ea ſententia fuiſse probabit. Cave autem mihi opponas, Banneſium non negare, Baptiſmum ſuſcipi rite poſse cum ſola *attritione*. Ex hoc enim non eſt conſequens, ipſum perinde ſenſiſse, aut ſentire debuiſse de ſumptione Euchariſtiae, quando quidem haec eadem Soti fuit opinio: poſse quidem cum ſola attritione rite ſuſcipi Baptiſmum, ſacramentum Poenitentiae non item. Itaque non vidit, aut videre noluit Guimenius id, quod plane peſpicuum eſt, eſse quidem Banneſii contra Sotum, non autem ſuae contra Banneſium argumentationi locum: ne-

neque enim, ut Sotus baptiſmum, ita Banneſius Euchariſtiam cum ſola *attritione* ſumi poſse concedit. Huic alterum finitimum eſt Moyae peccatum, quod malitioſe diſſimulet quam vim habeat Banneſii contra Sotum argumentatio, eo quod, ſi reſpuit ſententiam Soti ob eam cauſsam, quod Baptiſmus cum ſola attritione rite ſuſcipiatur, nemo eſt tam obtuſo ingenio, ut videre non poſſit, eum, cum ait ſumptione Euchariſtiae ſatisfieri praecepto charitatis, nihil aliud, ut ſupra demonſtravi, voluiſse, niſi nihil impedire, quominus Euchariſtiae ſumptione, ſi ſit cum Dei dilectione conjuncta, præcepto charitatis ſatisfiat. Tertium eſt Moyae peccatum, quod non ſatis attendit quemadmodum Banneſius inſtitutam adverſus Sotum confirmet argumentationem; ex qua confirmatione perſpicue intelligitur, nihil eum concludere adverſus Banneſium, etiamſi daretur, nihil obſtare ex ſententia Banneſii, quominus *cum ſola atttitione* digne Euchariſtia ſumatur. Urget enim in extrema argumentatione Banneſius Sotum ex eo, quod qui baptiſmo initiatur, aut aliud ſuſcipit ſacramentum, id agit, quod ſpectat ad virtutem Religionis, per quod opus ſatisfacere non poteſt praecepto charitatis,

quae

quae ipsam postulat Dei dilectionem : *Confirmatur*, inquit, *quoniam receptio sacramenti pertinet specialiter ad virtutem Religionis, & ideo indigna receptio dicitur sacrilegium*. Non dubito, quin videas, ejusmodi argumentatione luculenter effici, commune non esse præceptum charitatis, ipsumque per se, non ut Dei præceptis pareatur, sed ut Deus ipse diligatur, omnino postulare. Quid igitur? An hujus doctrinae statim oblitus est Bannesius; aut minime vidit, Eucharistiae sumptionem opus esse Religionis, &, si sit ab Dei dilectione sejuncta, nihil in se continere, per quod satisfiat praecepto charitatis? At neminem reperiet Guimenius, cui persuadere possit, Bannesium non vidisse in sumptione Eucharistiae id, quod probe vidit, & strenue confutavit in susceptione baptismi; aut quod improbavit in susceptione beptismi, id demum approbasse in sumptione Eucharistiae.

Haec tanta, & tam gravia, quae hactenus demonstravi, Moyae peccata satis declarare possunt, non Concinam Moyae, sed te Concinae injustum fuisse criminatorem. Nam quod eum derideas, & piam per jocum appelles ejus interpretationem, nihil jam est caussae, cur moleste feram.

Quid

Quid enim magis *pium*, ego jam dicam, magis firmum, quam quod est ejusmodi, ut si ab eo recesseris, tam multa pecces necesse sit, quanta ego te & Moyam hactenus peccasse demonstravi? Sed quia id ago hoc in loco non solum, ut tibi de hac controversia respondeam, sed etiam, ut eam plane explicem, omnemque tibi tuisque Casuistis praecidam Bannesio insultandi occasionem, necesse est, ut cetera fundamenta, quibus nititur Concinae interpretatio pari diligentia proponam.

CLIII. Itaque tertium, imprimisque solidum fundamentum est, quod Bannesius de aliis duobus *fidei*, & *spei* praeceptis ita scripserat quaest. 22. art. 2.: „ Sit ultima conclusio: „ quod qui aliquoties in anno exercet „ actum spei, tutus esse potest de adimple„ tione praecepti dummodo non desperet „ aliquando „. Ex quo illud existit, ne praecepto quidem charitatis opinione Bannesii obtemperare hominem, nisi aliquoties in singulos annos in Deum amore feratur: par est enim, & una horum praeceptorum ratio; & nemo hactenus adeo rudis repertus est, qui diligentius fidei, & spei, quam charitatis praecepto duxerit esse obtemperandum. Ipsi Casuistae, qui novas his de rebus opiniones

in-

introduxerunt,quod de uno praecepto imperite, aut minus accurate ſcripſerunt, idem de ceteris intelligi voluerunt.

Intactum a vobis relinquitur, & quaſi obſcurum, aut imbecillum eſſet, ne obiter quidem attingitur hoc fundamentum. Et tamen opus Platone non erat,ut intelligeretis ex doctrina de praecepto fidei, aut ſpei perſpicuum fieri poſſe, quid ſenſerit ſcriptor de praecepto charitatis, de quo forte aliquo in loco paullo obſcurius eſſet locutus; praeſertim quodBanneſius ad id,quod de his praeceptis ſcripſerat, lectorem allegare videtur his verbis: „ dicendum ergo, ſicut ſu-
„ pra diximus,de fidei & ſpei praeceptis dif-
„ ficile eſſe punctualiter definire omnia
„ tempora & ſingula, quibus hujuſmodi
„ praecepta obligent „.

Dices, ne quid diſſimulem, Banneſium, cum de ſpei praecepto ſcripſerit: *qui aliquoties in anno exercet actum ſpei tutus eſſe poteſt &c.*,ingreſſum dicere de charitate annua Euchariſtiae ſumptione eſſe contentum, proindeque minus frequenter praecepto charitatis, quam praecepto ſpei, ejus ſententia, eſſe obtemperandum.

At nihil obſtat haec varietas loquendi quominus id, quod volumus, omnino con-
ſe-

sequamur. Non enim id potissimum quaeritur, utrum aliquoties in singulos annos, sed utrum alia re, quam Dei dilectione praecepto charitatis,ex sententia Bannesii,sit obtemperandum. Nam cum Moya contendat, & velis ipse ejus errorem secutus, Bannesium, cum ait annua Eucharistiae sumptione huic praecepto satisfieri, omnem ei vim & efficacitatem *per se obligandi* ademisse: nos contra ex eo,quod eam vim fidei, & spei praeceptis non ademit, concludi volumus ne praecepto quidem charitatis ademisse, proindeque quod scripsit de annua Eucharistiae sumptione, id quidem de Dei dilectione, quae cum ista sumptione conjungitur, esse accipiendum. Nihil autem occurrere potest, cur haec argumentatio minus recte conclusa videatur. Cur enim praecepta Fidei & Spei *specialia*, princeps autem & omnium maximum charitatis diceret esse commune? Accedit huc, quod ipse Bannesius istam varietatem, & inconstantiam loquendi continuo emendavit. Constituto enim quod scripserat de annua Encharistiae sumptione, lectorem admonuit, ne multum huic sententiae consideret: verendum nobis esse, ne saepe ignorantia peccemus, &, cum minime suspicamur, hoc grande praeceptum vio-

violemus: huic malo occurri posse si in ore semper habeamus: *ab occultis meis munda me Domine*.

CLIV. Atque hoc quartum est fundamentum quo Concinae nititur interpretatio, & Amadei Guimenii inanis accusatio declaratur. Quod utrum a nobis recte conficiatur, lectorum erit judicium. Nam si Bannesius praeceptum charitatis, quod speciale esse dixerat, in commune convertisset, nec ullam in eo vim per se obligandi reliquisset, nihil esset opus ista admonitione, propterea quod, si esset commune, nihil aliud postularet nisi ut aliis praeceptis obtemperaremus, atque adeo nemini, qui se his obtemperasse cognosceret, verendum esset num aliquando praeceptum charitatis imprudens violasset. Itaque hac oratione, & cohortatione Bannesii, id, quod volumus mirifice confirmatur, eum longissime abfuisse ab eorum sententia qui nullam vim per se obligandi in praecepto charitatis inesse defendunt. Sensit Guimenius (nam tibi visum est, satius esse hoc quoque fundamentum dissimulare) ita rem se habere. Quid igitur respondet Baronio, qui illud objecerat, & quam vim haberet ad sententiam Bannesii explicandam patefecerat? Audi, Noceti, & nega si potes tuum Gui-

Guimenium cavillari:,,Non dicit,inquit loc.
,, cit.§.3.,, esse peccatum mortale,nec ideo
,, haec addidit, quia alteri conclusioni diffi-
,, sus fuerit : sed quia forsan pluries in anno
,, per se obligat charitatis praeceptum , &
,, nos ignoramus. Pluries enim intra an-
,, num casus occurrunt, in quibus disputant
,, Doctores sit nec ne obligatio eliciendi
,, actum specialem amoris Dei: v.g. an quis-
,, que ad illud per se teneatur quoties con-
,, tritionem peccatorum habere debet , aut
,, veram eorum detestationem extra sacra-
,, mentum ? An quoties aliquem in Deum
,, blasphemantem audit : an quoties be-
,, neficium magnum a Deo acceperit ? An
,, quando gravis odii Dei tentationes in-
,, stant , & similes , in quibus omissio hujus
,, praecepti fortassis nobis ignorantibus da-
,, tur. Quae proinde ignorantia ex diversi-
,, tate opinionum probabilium suborta a
,, peccato etiam veniali, ne dum mortali
,, nos excusat:quapropter consulto M.Ban-
,, nez non dixit *nobis ignorantibus posse ad*
,, *peccatum lethale imputari* , ut Baronius
,, illi affinxit : *sed fortassis nobis ignoranti-*
,, *bus aliquando esse omissionem , sicut &*
,, *orandi Deum*. De hac ergo ignorantia
,, inculpabili ex varietate opinionum circa
,, tem-

„ tempus obligationis hujus praecepti lo-
„ quitur Magister Bannez ubi supra, quia
„ licet existimet, praeceptum amoris Dei
„ per se sufficienter adimpleri digna singu-
„ lis annis Eucharistiae susceptione, censet
„ tamen & merito, aliis etiam temporibus
„ fortasse per se obligare, & per ignoran-
„ tiam omissionem inculpabilem continge-
„ re „.

Legenti mihi hunc locum Guimenii in mentem venit illud Plauti: *hic vereri perdidit*. Neque vero mihi succensebis, si quam abhorreat a quaestione & instituto Bannesii responsum Guimenii attente considerabis. Id agit Bannesius, ut vim, potestatemque exponat praecepti charitatis; huic ne satis obtemperetur annua Eucharistiae sumptione prudenter, & ut cautum decet Theologum, magnopere veretur: fortasse enim plus quam semel in singulos annos Deum amari convenit, ne hoc praeceptum violetur: quare monet, ut semper in ore habeamus: *ab occultis meis &c.* In haec omnia qui potest Amadei quadrare responsum? Unde colligit, Bannesium, qui vim per se obligandi exponit, loqui de aliis caussis, quae, tametsi cesset obligatio praecepti, interdum postulant ipsae per se, ut ad Deum diligendum

ani-

animum referamus? Neque Bannesius de his caussis ullo modo se loqui significat, neque ratio erat ulla, cur loqueretur; nihil enim conferunt ad eam vim, quae in praecepto inest, & de qua Bannesius quaerit, explicandam. Deinde quis, praeter Amadeum Guimenium, negare potest, Bannesium ita, ut dixi, lectorem monuisse, quod sententiae suae de annua Eucharistiae sumptione plurimum diffideret? Quis item, praeter ipsum, hoc modo cavillari: *non dicit esse peccatum mortale*? Quasi cum agitur de divino charitatis praecepto, dubium esse possit, ingens, si violetur, peccatum perpetrari.

Denique si Bannesius, ut dictitat Moya, loquitur de ignorantia, *quae ex diversitate opinionum probabilium suborta a peccato etiam veniali nedum mortali nos excusat*, cur tam sedulo admonet, ut illud in ore frequenter habeamus: *ab occultis meis &c.* An occulta peccata, de quibus hic loquitur divina Scriptura, nulla sunt peccata: aut cum isto modo Deum oramus, id ab eo postulamus, ut ea nobis ignoscat, quae ab ignorantia, quae vinci non potest, proficiscuntur? At ego nunquam legi, vel audivi, Probabilistas, qui docent, non peccare eum, qui

rum cautum fuisse poeniteret. Sed nimis longum esset omnia persequi. Quare cetera ejus errata in praesentia omitto.

Mitto etiam cetera argumenta, quae multa & magna sunt, quibus evincitur, nihil in tota Bannesii disputatione de praecepto charitatis reperiri, quod bonis Theologis displicere, dignumque videri possit ulla reprehensione. Nam cum nihil omisit eorum, quibus vera sententia,& diligendi Dei necessitas confirmatur; tum omnia contraria argumenta, quibus decepti novi Casuistae exsecrabilem errorem defenderunt, ita solvit, ut nihil accuratius desiderari possit, neque facile Theologus reperiatur, qui errorem quem illi attribuitis, operosius refellerit, & diligentius fuerit aversatus. Legito integram ejus disputationem, & ostendito, si potes, ullum esse argumentum, quo quidem uterentur damnati erroris fautores, quod non recte solverit Bannesius. Non utique ostendes. Nam neque illud omnium primum, quod nullum tempus Deo diligendo praestitutum sit; neque alterum, quod praeceptum charitatis in ceteris praeceptis inclusum habeamus, quae duo potissimum adhibebant novi Casuistae, ut ex animis hominum Dei dilectionem exterminarent, non accurate

versarius intelligat, adversetur. Haec est princeps interpretandi regula, quam si legisses, nihil opus fuisset inquirere, quid accepisset Ledesma in oratione Bannesii.

Ex quo intelligere potes cur ab Concina Moya accusetur, Ledesma non accusetur imposturae. Nam Ledesmam oscitanter, aut negligenter Bannesium legisse constat. Quid enim est facilius, quam Scriptorem in alio legendo hallucinari? At non idem credi potest de Amadeo Guimenio, presertim in eo libro, quem hoc nomine vulgavit. Nimis enim saepe peccat, & deterrimas quasque sententias clarissimis Theologis tribuere conatur, quorum tamen dicta, aut non satis intelligit; aut, si intelligit, perverse interpretatur.

Demus tamen, ipsum quoque haud satis considerate Bannesium legisse. Quid igitur? Num dignus erit excusatione? Nihil minus. Cur enim a Vincentio Baronio confutatus maluit tot, & tantis cavillis, quantos ego supra demonstravi, tueri quod scripserat, quam rationi parere, & quid ex omni considerata oratione, ceterisque Bannesii dictis sequeretur attendere? Aliud est Noceti scriptorem simpliciter errare, aliud cum ea de

de re controversia nascitur, aut jam ipsi a multis contra dicitur, nihil diligentius expendere, & id, quod primo scripsit, pertinaciter defendere.

CLVI. Longe deterior est caussa Vivae, pro quo scribis in extremo capite: „ Immerito Pater Concina Tom. 1. pag. „ 285. & seqq. acerbas declamationes in- „ torquet contra P. Vivam, quia senten- „ tiam Bannezii & Serræ in eundem sensum „ accepit, in quem illam multo ante ipsum „ acceperat Ledesma insignis sane Theolo- „ gus ejusdem Ordinis. Sed Ledesma cujus „ auctoritatem duo illi Jesuitae secuti sunt, „ a P. Concina ne nominatur quidem. Mo- „ ya traducitur, ut impostor. Viva decla- „ mationibus exagitatur. Succenseat pri- „ mum fontibus P. Concina; tum de rivu- „ lis cogitet. Sed hoc monito nimium sae- „ pe indiget, ut videbimus, in hac sua „ Christiana Theologia.

Ita ne vero? Quum Viva damnatum errorem Bannesio, & Serrae tribuit, Ledesmae secutus est auctoritatem? Hic usquam Bannesium & Serram negasse ait praeceptum speciale charitatis? Falleris, Noceti, atque ut Vivam defendas multa peccantem tu ipse eadem peccas, nihilque considerate scribis.

Ita-

Itaque adverte animum; jam enim explicabo, jure ne, an injuria Concina contra Vivam declamarit. Quaeritur auctor damnatae thesis: *homo nullo unquam vitae suae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*, quaeritur, inquam, auctor hujus thesis. Is est Tamburinus, qui eam tam operose probat, ut quivis legendo stomachari possit. Quod quidem, praeterquamquod jam constat inter omnes, cum ad eum venero, aperte demonstrabo. Quid jam Viva? Is hanc *thesim* exponens, praeposita distinctione duplicis *obligationis*, quarum alteram *per se*; alteram *per accidens* Theologi appellant, impavide scribit. „ Hanc secundam obligatio„ nem ex vi aliorum praeceptorum nemo „ unus negavit: de prima dubitarunt non„ nulli apud Tamburinum lib. 2. de Prae„ cept. Decalog. cap. 3. Immo Sancius, Ser„ ra, Bannez illam negare ausi sunt nixi „ tum eo principio, *quod nulla obligatio sit* „ *adstruenda, nisi de illa constet*; *tum etiam* „ *quia praeceptum videtur non obligare*, „ *nisi sit determinatum, ac pro tempore de*„ *terminato obliget*„. Ego, Noceti, non declamabo, unum mihi edisseras volo, an

quidquam impudentius scribi possit? Non illud magnopere reprehendo: *de prima dubitarunt nonnulli apud Tamburinum*; nam eo comparatum esse video, ut lectores non intelligant, esse domi suae damnatae *thesis* auctorem. At Bannesium & Serram eam negare ausos esse qua fide scribit? Ausos esse negare propterea *quod nulla obligatio sit. adstruenda* &c., & *quia praeceptum videtur non obligare &c.* quo Serrae, & Bannesii testimonio demonstrat? Quo auctore didicit? Et testimonium quidem nullum expecto. Nunquam enim fiet, ut ex Bannesio, Serraque ea proferas, quae illi duo non modo non scripserunt, sed etiam accurate repudiarunt. At de auctore facile respondes, Ledesmae auctoritatem secutum esse Vivam. Quare Concinam mones, ut *succenseat primum fontibus, tum de rivulis cogitet*. Ego vero de praetermisso ab Concina Ledesma, & Marco Serra nihil amplius disputo. At de fontibus & rivulis quid dicam? Purus hac in re fons erat Baronius, purus Serra, purus Bannesius, tantisper lutulentus, si itavis, Ledesma. Cur Viva, puris praeteritis, e lutulento haurire maluit? Ego vero dico, Vivam non ex hoc lutulento, sed ex lutulentissimo, quem domi habebat, hausisse.

ſiſse.Ex Moya,inquam,ut ego quidem exiſtimo, non ex Ledeſma hauſit, quod ſcriberet. Ledeſma enim nunquam ſcripſit,Banneſium negaſse vim *per ſe obligandi*, multo minus ob eas cauſſas negaſſe, quas Viva commemorat; ſed tantum loc. abs te cit. quem ſupra deſcripſi, difficilem ſibi videri dixit modum loquendi Banneſii:*ſine ſcrupulo credi poteſt* &c. Cupio autem videre, an qui modum loquendi alicujus ſcriptoris difficilem appellat, is ſtatim putet, eumdem ab ſententia receſſiſse, quam operoſe propugnat. Hoc quidem plane novum & inhauditum eſt, & dignum ingenio Guimenii. Quam ſaepe enim accidit, ut ſcriptor aliquid dicere videatur,quod cum ceteris ejus dictis congruere non poſſit,neque tamen improbare,aut negare putetur id, quod diligenter conſtituit? Praeterea illud etiam, cum ejuſmodi ſcriptorum reprehenſiones occurrunt, conſiderari debet, an non potius fallatur is, qui reprehendit, eo quod non omnia diligenter expenderit, preſertim cum non id agitur, ut quid ſenſerit ſcriptor ille data opera inveſtigetur. Et ſane quid affert Ledeſma quamobrem modum illum loquendi Banneſii difficilem appellet; nonne, diſtinctum eſse praeceptum charitatis a praecepto ſumenbae

dae Euchariſtiae? Atqui cum hoc ipſum probe viderit Banneſius, eoque adductus negarit, ſatisfieri praecepto charitatis tum, cum ſuſcipitur baptiſmus, ſequitur hallucinatum eſse Ledeſmam, qui non animadvertit, quodſcripſit ipſe Banneſius de ſumptione Euchariſtiae, id quidem difficile non eſse, ſed de conjuncta cum eadem ſumptione Dei dilectione eſse intelligendum. Conſtat igitur, abuſum eſse Guimenium primum Ledeſmae auctoritate; quippe qui quod Ledeſma ſimpliciter ſcripſit, videri ſibi nonnihil eſse in diſputatione Banneſii, quod cum ceteris ejus dictis cohaerere non poſſit, id perinde accepit, quaſi Ledeſma ſcripſerit, negaſse Banneſium ſpeciale praeceptum charitatis: Deinde ejuſdem errore; cum quod ille peccavit, lecto Banneſio, non tamere ſequi, ſed improbare debuiſset.

CLVII. Idem dico de Viva, ſi vis, eum legiſse Ledeſmam, ejuſque ſecutum eſse auctoritatem. Sed tua divinatio eſt, Vivam quod de Banneſio ſcripſit ab Ledeſma accepiſse; primo quia nihil tale, quale ſcribit de Banneſio, dictum ab Ledeſma reperitur: deinde quia Serram cum Banneſio conjungit, cum tamen Ledeſma ne per ſomnium quidem nominet Serram: tertio quia quod ſcripſit

Ban-

Bannesium & Serram iis rationibus adductos, quas supra indicavi, negasse vim *per se obligandi*, id quidem non modo ab Ledesma non accepit; sed ne ab Guimenio quidem accipere potuit, cum nihil ille tale scripserit; sed tantum attulerit, ut vidimus conclusam ex sententia *de attritione* argumentationem, ut evinceret, non permansisse Bannesium in ea, quam defendere instituerat de *speciali* præcepto charitatis, sententia: de Serra autem nihil aliud objecerit, nisi quod referat, neque tamen refellat sententiam Bannesii. Post descriptum enim loc. cit. select. disput. §. 2. Bannesii locum, de quo hactenus disputatum est: *quem suppresso nomine refert*, inquit, *nec refellit M. Serra* 2. 2. *quaest.* 44. *in fine*. Qua de re dicam postea. Unde igitur hausit Viva convicium illud: *immo ..... Serra Bannez illam negare ausi sunt &c.* nisi partim ex Guimenio, a quo uno tribuitur his duobus Theologis ejusmodi erratum; partim ex sua libidine communicandi cum Divo Thoma & omnibus Thomistis proscriptarum *thesium* perversitatem? Quam libidinem hoc loco tegere velle ejusmodi excusatione, quod Ledesmae secutus sit auctoritatem, Concinæque exprobare, quod non prius Ledesmae, quam Vivae succen-

censeat, nihil aliud est, quam fucum facere imperitis. Nos quidem, Noceti, Ledesmae succensemus, quantum succensere possumus; quem enim in Bannesio legendo nonnihil hallucinatum esse dicimus, huic certe non parcimus: nihil amplius etiam succenseremus Guimenio & Vivae, cum nihil aliud tandem quaeramus, nisi ut Bannesium & Serram nihil errasse demonstremus; at cum videamus, vos, non solum veniam Guimenio & Vivae postulare; sed etiam id, quod temere & imperite scripserunt, tueri pergere; & ne post confutatum quidem a Baronio Guimenium; ne post declaratam quidem ab Concina in historia probabilismi Bannesii & Serrae sententiam, eundem errorem his duobus Theologis tribuere desinere, &, si contra dicamus, omnia dissimulantes firmissima argumenta, quae a nobis proferuntur, ridicule ad Ledesmam reverti, succensendumque dicere primum *fontibus*, tum de *rivulis* esse cogitandum; facere non possumus, quin de fraude & irrisione queramur, *fontibusque* praeteritis, istos *rivulos*, qui multa ferunt, quae non fluxerunt ex fontibus, exsiccarre conemur. Quid? si Guimenium & Vivam excusari cupis propterea quod Ledesmae secuti sint auctoritatem, cur com-

committis, ut tu ipse ejusdem exscusationis egere videaris? Cur Guimenium & Vivam probas? Cur pergis eundem errorem Bannesio, & Serrae tribuere, cumque nihil habeas, quamobrem tribui debeat, rursus confugere ad Ledesmam? An tanti valere debet unius Ledesmae auctoritas, ut etiam sine ratione vincat, & quod semel scripsit, id, cujusque modi sit, ne perspicuis quidem argumentis, & facti evidentia infirmari non possit? An nihil attulerat Concina in historia probabilismi, quod abs te extorquere posset assentionem? An per te ipsum videre non poteras, nihil vitiosius excogitari posse ea argumentatione, qua Guimenius conficere nititur, sustulisse Bannesium speciale praeceptum charitatis, vel illud in commune convertisse? Sed de Bannesio satis.

CLVIII. Quid de Serra? Qua ratione suadere conamini hunc quoque in eodem errore esse versatum? *Refert*, inquit Guimenius, neque tamen *refellit* sententiam Bannesii. Recita Serræ testimonium. „Certum est præceptum „charitatis obligare, ut pluries in discursu „vitae actum dilectionis Dei, & proximi „eliciat homo. Sunt nihilominus, qui „dicant absque scrupulo credi posse prae„ceptum charitatis adimplevisse eum, qui „se-

„ semel in anno quolibet Eucharistiam „ sumpsit „. Quaero nunc ecquam sententiam Bannesii refelleret Serra. Eam puto, quam Bannesio tribuebat Guimenius; nihil enim est aliud, quod Serra, nisi refelleret, videri posset approbare. At unde novit Guimenius, Serram idem accepisse, quod ipse accipiebat, in oratione Bannesii? Ubinam Serra significat, Bannesium hoc loco negare voluisse speciale praeceptum charitatis? Id quidem Guimenius dicit, Serra non dicit. Et quia Serra non reijcit id, quod Guimenius interpretatur, idcirco negat speciale praeceptum charitatis? Quis, praeter Guimenium, isto modo argumentatur? Quis isto modo scriptores interpretatur, praesertim cum agitur de errore, quem illi diligenter aversantur? Guimenius, inquam, isto modo argumentatur. Sed num tibi displicet ejus argumentatio? Num te pudet sequi Guimenium? Nihil minus. Nam quasi res ab eo confecta esset „ addo, inquis pag. 11. „ M. Serram Dominicanum 2. 2. qu. 44. „ in fine referre, & non reijcere sententiam „ Magister Bannez „. Atque ego addo, Noceti, Serram, si rejecisset sententiam Bannesii, in eo errore, quem illi per summam injuriam tribuitis, futurum fuisse:

Gui-

Guimenium autem ita argumentari,ut nihil ſtolidius ejus argumentatione excogitari poſſit. Nam prius demonſtrandum erat, Serram perinde accepiſſe ſententiam Bannesii, quaſi negarit Bannesius ſpeciale praeceptum charitatis, ut, ſi, quod ita acciperet, non improbaret, dici poſſet in eodem errore eſſe verſatus: ſed cum nihil tale elici poſſit ex oratione Serrae, ſequitur Guimenium id tacite ſumere, quod probare deberet.

Quod ſi dicis, ne quid diſſimulem, Serram hoc modo loquendi: *ſunt nihilominus &c.* ſignificare voluiſſe, nonnihil ab ſua diſcepare ſententiam Bannesii, id quidem facile dabo. Quid enim magis pervulgatum, quam Theologum cum Theologo diſſidere cum quaeritur de tempore, quo potiſſimum praecepto charitatis obtemperari convenit? Neque vero quidquam obſtat, quominus dicamus, Serram, cum ait: *pluries in diſcurſu vitae actum dilectionis Dei, & proximi* eſſe eliciendum, ſignificare voluiſſe, paullo frequentius, quam ſemel in ſingulos annos, hunc actum elici oportere; proptereaque hoc modo loquendi: *ſunt nihilominus &c.* demonſtrare voluiſſe, *laxiorem* ſibi videri ſententiam Bannesii. Scio huc non ſpectare animadverſionem tuam. Concedam igitur quod

quod vis, cujusque modi sit. Quid tum? Hoc summum conficies, Serrae perinde, ac Ledesmae, non omnibus accurate perspectis, difficilem visum esse modum loquendi Bannesii: at visum esse Bannesium eodem negare voluisse speciale praeceptum charitatis, quo modo conficies?

CLIX. Extremum est, ut de ipsa controversia nonnulla disputem, & quid ego sentiam de tempore, quo potissimum actum dilectionis erga Deum elicere convenit, paucis exponam. De actu enim ejusmodi intelligi volo, quod de *obligatione* diligendi Deum saepe dixi. Videntur enim mihi novi Casuistae, cum de hoc tempore quaererent, non solum contra praeceptum charitatis, sed etiam contra rationem multa peccasse, neque ad id, quod maxime considerari debet, satis diligenter animum advertisse. Nam quod illi afferebant, ut negarent *vim per se obligandi*, statuerentque nunquam, aut minus frequenter actum dilectionis erga Deum elicere christiano fas esse: nullum esse huic rei praestitutum tempus, id quidem ejusmodi est, ut ad eam vim constituendam nihil magis aptum reperiri posse videatur. Nam cum charitas, ut Theologi docent, & Thomas luculenter explicat, sita sit in amicitia hominis

nis cum Deo, nihil de ea recte statuere possumus, nisi amicitiae legibus conveniat. Quare quemadmodum nulla amicitia patitur, ut colloquendi, conveniendi, officiorumque ab amicis praestandorum tempora definiantur; neque tamen hinc sequitur, nunquam, aut perraro esse cum amico colloquendum, nunquam eundem conveniendum, nullum eidem praestandum officium; sed potius amicos, quam frequentissime possunt, una esse velle, inter se colloqui, mutuisque certare officiis; ita ut qui aliquo temporis intervallo eadem intermittit, is amicitiae leges sibi violasse videatur: ita ne in amicitia quidem hominis cum Deo ullum debuit definiri tempus, quo animum suum ad eum diligendum referre deberet: ex quo nullo modo est consequens, nunquam, aut perraro Deum esse diligendum, ut per summam inscitiam novi Casuistae ratiocinati sunt; sed magis debere hominem, quam frequentissime potest, Dei sui, amici omnium optimi recordari, eumque ita diligere, ut si longiore temporis intervallo, quam amicitia patiatur, dilectionis officia intermittat; tum se praeceptum charitatis, & amicitiæ cum Deo legem violasse arbitretur.

Ex quibus facile perspicitur, falsas esse

 mi-

minimeque ferendas plerasque hac de re Casuistarum sententias; non solum eorum, qui negarent, *speciale* esse praeceptum charitatis; sed etiam eorum, qui tametsi hoc non negarent, minus tamen frequenter, quam amicitiae lex postulet, actum dilectionis erga Deum elicere christiano fas esse statuerent. Ejusmodi est illa Castropalai sententia, tract. VI. disp. I. punct. 4. num. 10. ,, Hac ergo obligatione existimo, quemlibet adultum teneri non singulis annis, ut placuit Petro de Ledesma ..... quia hoc est nimis durum, & nullo firmo fundamento nititur; sed aliquoties in vita ... Reputarem tamen dilationem trium annorum esse gravem ,,.

Longe deterior est illa Suaresii disp. 5. sect. 3. num. 4. ,, Dico ... teneri hominem, non prorsus cessare tota vita, ab hoc amore, sed aliquando illum iterare propter rationes factas contra tertiam sententiam, est enim consentaneum, ut Dei amor, propter quem creatus est homo, & qui est ultimus finis actionum, non semel tantum, ac iterum in tota vita habeatur: quare *qui per multos annos* non exercet hunc amorem, delinquit contra hoc praeceptum; quantum vero futurum

,, sit

„ sit hoc tempus, prudentiae relinquendum „ est„.Alias praetereo ejusmodi sententias, queabConcina hoc loc.accurate refelluntur.

CLX. Quod reprehendis cap. ix. scriptum ab Concina tom. 2. pag. 4. : „ Nemo „ ex necessariis ad suum statum conservan„ dum tenetur eleemosynam pauperibus „ elargiri ; etsi extrema necessitate labo„ rent. P. Matthaeus Moya tom. 1. tract. „ 6. disp. 6. quaest 4. §. 3. num. 21. „ Quod , inquam , hoc loco reprehendis jamdudum Concinae objectum fuerat in libello supplici, seque is de eo in sua declaratione purgarat . Quid igitur nunc rursus abs te objicitur cum invidiosa imposturae criminatione ? Itaque rursus dico , quod jam dixi Epistola v. num. xix. .nimis esse illiberale ejus , qui tibi satisfecit , non sinere obsolescere peccatum : ipsamque veritatem , si tuarum egeret vindiciarum , & ipsa per se loqueretur , ea declaratione contentam nihil amplius postulaturam . Quid enim illustrius, & ad veritatem vindicandam magis aptum publico judicio , quod vos ipsi fieri postulastis , & ea declaratione , quae non solum ab Concina in Christianam Theologiam inserta, sed etiam a vobis per omnem Europam magna diligentia disseminata fuit ?

De Moya iterum.

fuit ? Nihil igitur attinuit haec eadem rursus obijcere. Nam si plus quaeris, quam veritas ipsa postulare possit, periculum est, ne aliquando invenias, quod tibi placere non potest.

CLXI. Quando igitur tacere noluisti, condemnabo ego Moyam eodem crimine, quo tu Concinam condemnandum putasti; sed eo justius, quo Moya superior, atque excellentior est is, quem ego defendendum suscipiam. Et vero uter plus tibi peccasse videtur, Concina ne, qui Moyæ, an Moya, qui Antonino hanc ipsam tribuit falsam opinionem ? Et ad Concinam quidem quod attinet, nemo credet, in mentem ei aliquando venisse, ut unam, & alteram falsam opinionem tribueret Casuistae, qui multo plures sustinuit, quam favillae evolarint ex iis flammis, quibus ejus opera combusta sunt. At vero Antoninus magnam habet auctoritatem, neque conferendus est cum eo, quem iterum, & tertio Ecclesia damnavit, & a quo doleo magnam viro sanctissimo factam esse injuriam. De hac ipsa enim sententia dissērens loc.cit.§.5.,, Expresse, inquit, illam te-
,, net D.Antoninus, ut notat M. Lopez 2. p.
,, Instruct. cap. 106. §. jam circa, folio mi-
,, hi *669*. & M.Serra 2.2. tom. 1. quaest.32.
,, art. 5.

„ art. 5. fol. 678. ubi Divi Antonini verba
„ refert, & ejus ſententiam probabilem pu-
„ tat, ibi : * Dixi habenti ſuperflua ſimplici-
„ ter; nam ſi ſolum haberet ſuperflua ſecun-
„ dum quid, quae licet ſuperabundent na-
„ turae, non tamen ſtatui, probabile eſſe
„ exiſtimo non teneri pauperi extremam
„ neceſſitatem patienti ſubvenire. Unde
„ S. Antoninus 2. p. tom. 1. cap. 24. §. 5.
„ ait : *Cum quis ſciens extremam neceſſita-*
„ *tem proximi non ſubvenit ei de eo, quod*
„ *eſt ſuae neceſſitatis perſonae, ideſt ad de-*
„ *centiam ſtatus ſui, & familiae, & ſuper-*
„ *fluum naturae, non peccaret iſtud omittens*
„ *ſaltem mortaliter*. Idem aſſerunt recen-
„ tiores nonnulli hiſque exemplis expli-
„ cant *. Heac Serra &c. „

Nunc animadverte quae ſit ſententia Antonini,qui expoſitis loc.cit.variis neceſſitatis,& ſuperflui generibus.„Nota igitur,inquit, ex praedictis: primo quod non dare
„ eleemoſynam, quod pertinet ad hoc viti-
„ um inhumanitatis,tunc eſt mortale,quan-
„ do quis ſuperflua,ultra ſcilicet neceſſaria
„ naturae, & perſonae habens, non ſubve-
„ nit patienti extremam neceſſitatem,
„ quam novit, ſecundum Thomam . . .
„ Secundo,cum quis ſciens extremam

„ necessitatem proximi, non subvenit ei de
„ eo, quod est sibi necessarium personae,
„ idest ad decentiam status sui & familiae,
„ sed superfluum naturae: & hoc secundum
„ Durandum & Riccardum. Sed B. Thomas
„ 2. 2. qu. 32. dicit hoc esse sub consilio; un-
„ de non peccaret istud omittens saltem
„ mortaliter .....

„ Tertio, cum quis de superfluo utriusque necessitatis, naturae scilicet, & personae, non subvenit magnas necessitates & miserias patientibus, etsi non extremas sibi notas: & hoc videtur esse quasi mortale secundum Durandum, sed non secundum Thomam „.

Totus describi debuit hic locus; id enim ad multa pertinet, ut paullo post intelliges. Caeterum sententia, de qua est inter nos altercatio §. *secundo cum quis* &c. continetur, ubi Antoninus diserte docet, graviter peccaturum eum, qui pauperem extremis malis laborantem sublevare recuset iis bonis, quae licet sint necessaria personae, & status dignitati, sunt tamen superflua naturae. Non dico quam corrupte, & foede depravatum descripserit Moya hunc locum Antonini, ut ex eo contrariam eliceret sententiam; hoc enim, descriptum a me locum cum eo, quem

quem Moya descripsit conferendo, per te ipsum facile intelliges.

CLXII. Video quod dicere possis; non Moyam, sed Serram, locum Antonini corrupte descripsisse; nam Moyam ab eo corruptum accepisse constat. Ego vero huc te expectabam, ut ex hoc ipso, quod Moyae praesidio esse putas, fraudem ejus tibi demonstrarem. Mitto dicere, non esse Antoninum unum e multis, neque licuisse Moyae, cum esset in eo, ut falsam tali, ac tanto viro tribueret sententiam, cujusquam niti auctoritate: praesertim, quod Antoninum in ea sententia fuisse non simpliciter quidem indicaret, sed ejus testimonio confirmaret, quod proinde non aliunde, quam ex ejus operibus sumi oportebat: atque in hanc negligentiam quadrat id, quod in tuo libello frequenter occurrit: *colligat necessitatem auctores in fonte legendi*. Nam Concina nunquam isto modo cujusquam locum, aut sententiam indicavit. Mitto tamen, ut dixi, istam negligentiam, & facile patior non argui imposturae eum, qui fallitur, cum unius Dominicani sententiam ex alio accipit Dominicano.

At eum, qui agit astute, qui data opera alieno abutitur errore ad fallendum in-

cautos, argui debere contendo. Hoc nomine Moyam accuso. Nam cum legisset ipse per se Antoninum, cognossetque veram ejus sententiam, callide tamen eam dissimulavit, & testimonium illud potius corruptum ex Serra, quam integrum ex Antonino exscribere maluit. Hoc eo pertinuit, ut falsam viro sanctissimo tribueret sententiam, &, si quando hoc nomine reprehenderetur, id se auctoritate Serrae adductum fecisse mentiretur. Dices, habere id quidem fraudis, & malitiae suspicionem, sed mirari, te, qui tam confidenter affirmem, fuisse a Moya cui certe scribenti non aderam, lectum Antoninum. Ego vero etsi Moyae scribenti non aderam, nullus tamen dubito, quin Antoninum legerit. Nam animadverte quid scribat hoc ipso in loco §. 4. ubi differit de eleemosyna eroganda iis, qui gravi premuntur necessitate, auctoribusque, qui sententiam negantem defendunt, Antoninum annumerat hoc modo. „ Divus Antoninus 2. p.
„ titulo primo, cap. vigesimo quarto, §. ul-
„ timo, ubi non solum eandem sententiam
„ tuetur, sed pro illa adducit D. Thomam
„ dicens: * esse mortale non succurrere pa-
„ tienti necessitatem extremam, cum vero
„ quis (inquit) de superfluo naturae, &
„ per-

„ personae (id est statui) non subvenit magnas necessitates patientibus, etsi non
„ extremas sibi notas, hoc videtur esse
„ quasi mortale secundum Durandum, sed
„ non secundum Thomam „.

Hactenus Moya, ex quibus non minus, quam si ei scribenti adfuisses intelligere potes, lectum ab eo fuisse hunc locum Antonini; non enim aliunde haec protulit, quam ex eo ab se perlecto; quod si negas, non video, cur etiam meridie lucere negare non possis, cum Moya neminem laudet, ex quo se Antonini sententiam, & testimonium sumpsisse demonstret. Legit igitur & vidit, Antonini esse sententiam: *esse mortale non succurrere patienti necessitatem extremam*, cujus contrarium paullo post Serrae abusus errore, uti demonstravi, Antoninum docuisse affirmavit. O egregiam fidem! O dignum, quem tam operose defenderes, Casuistam!

CLXIII. Nunc cognosce reliqua. Ait enim praeterea, Antoninum docuisse, non peccaturum eum, qui de eo, quod naturae, & status superat dignitati, non sublevet pauperem, qui gravi prematur necessitate. Haec est altera, ut tuo more loquar, insignis *impostura*. Nam Antoninus hunc gravi-

viter peccaturum defendit in extremo testimonio, quod supra descripsi, quodque item si attente leges, corruptum a Moya fuisse intelliges. Antoninus enim non scripsit, uti Moya ejus locum describit: *cum vero quis de superfluo naturae & personae* (idest statui) *non subvenit magnas necessitates patientibus, etsi non extremas sibi notas, hoc videtur esse quasi mortale secundum Durandum, sed non secundum Thomam*: sed scripsit hoc modo, *Tertio* (peccatum est) *cum quis de superfluo naturae scilicet & personae non subvenit magnas necessitates, & miserias patientibus etsi non extremas sibi notas: & hoc videtur esse quasi mortale secundum Durandum; sed non secundum Thomam*: quae quidem multum discrepare ab iis, quæ Moya refert, facile intelliges, si locum Antonini, quem supra descripsi, totum attente leges, atque animadvertes, Antoninum initio scripsisse: *primo non dare eleemosynam, quod pertinet ad hoc vitium inhumanitatis, tunc est mortale, quando &c.* post autem cum pergeret: *secundo cum quis sciens extremam necessitatem* &c. &; *tertio cum quis* de superfluo *utriusque necessitatis* &c. omisisse id, quod non dico a viro docto, sed a puero, qui latine sciat, facile supplетur: *est mortale*; ita ut quivis legendum es-

se

se agnoscat: *secundo est mortale* &c. *tertio est mortale* &c. quod quidem nemo negare potest, nisi putide cavillari, ineptamque reddere velit Antonini orationem. Nam quod addit Antoninus: *& hoc videtur esse quasi mortale secundum Durandum; sed non secundum Thomam*, malitiose, contraque id, quod syntaxis postulat, conjungitur a Moya cum superiori oratione; in his enim verbis, quae a superioribus sejungi debent, Antoninus non suam, quam explicaverat, sed Durandi, & quam putat esse Thomae, sententiam exponit. Conferas igitur velim Moye locum cum Antonini loco, ut me vera dicere, & hujus Casuistae fraudes facile perspicias. Sed his perspectis sedulo cogitato quidnam de tua, quid de Moye fide possis respondere.

Nam Concinae fidem, quam labefactare studes, in tuto positam esse constat non solum ex eo, quod is scripsit in sua declaratione, errorem ortum esse, *ut quisque judicare potest, vel a vitio tipographi, aut visus mei debilitate; a malitia voluntatis nullo modo*; sed etiam ex his ipsis, quae demonstravi, Moyae peccatis. Neque enim putare debes, Concinae, si paullo attentius hunc Moyae locum legisset, majori curae futurum non fuis-

fuisse, ut Antoninum vindicaret, & tot Moyae imposturas patefaceret, quam ut huic tali, & tam saepe damnato Casuistae falsam tribueret sententiam.

De Moya tertio. CLXIV. Quod opponis cap. xxii. id ego epist. iii. num. 54. & seqq. diligenter infirmavi; itaque in praesentia omitto. At non debet omitti id, quod objicis cap. xxiii. quod quamquam ad eandem controversiam pertineat, mirifice tamen conducit ad illustrandum Moye ingenium. Quum Concina Tom. 3. aliquorum Casuistarum sententiam asserentium, votum castitatis *ob supervenientes libidinis tentationes* irritum fieri, prolixe confutasset „ Antequam, inquit pag. 145., „ huic quaestioni finem facio, juvat recensere judicium, quod in hanc opinionem a „ me hactenus oppugnatam fert P. Mattheus „ Moya in quaestionibus selectis Tract. 2. „ disp. 1. quaest. 1. de voto, & juramento. „ Hanc controversiam prolixe versat tribus „ paragraphis. Primo in paragrapho refert Auctores disputantes super valore „ voti emissi ab eo, qui, antequam voveat, proclivis in venerem est; & veriorem pronunciat opinionem illam, quae „ validum esse votum propugnat. Tum in „ paragrapho secundo in medium affert sen-

„ ten-

„ tentiam, quae ſuſtinet, votum diſsolvi, „ & irritum fieri per ſupervenientem in res „ venereas proclivitatem. Auctores iſtius „ ſententiae appallat doctiſſimos, ut ſuperlativum encomium quid ponderis tribuat „ opinioni. Pro eadem allegat doctiſſimos „ Dominicanos Dominicum Baltanam, Silveſtrum, Tabienam; qui ſolum docent fieri nullum votum, quoties ejus materia „ evadat inepta, vel impoſſibilis. Quod autem caſtitas voto Deo adpromiſſa, ex „ propenſione ſuperveniente in venerem „ fiat inepta, & obſervatu impoſſibilis, nemo eorum dixit. Tandem in paragrapho „ tertio ſuam ſtatuit opinionem, & ait: „ *quamvis opinio propoſita* §. 1. *valde probabilis ſit, contrariam tamen tenendam cenſeo*. Conſequenter valde probabilem „ judicat quoque ſecundam ſententiam „ quam §. 2. num. 14. neceſsario profluere „ ex prima indicat. Et reipſa eam non impugnat; ſed cum ſuis argumentis illam „ lectoribus proponit „.

Haec agit omnino Moya, quem qui leget, nae is intelliget, Concinam vera ſcribere, & nihil falſi comminiſci. At duae tibi eſse videntur in ejus oratione adverſus Moyam falſae eriminationes: una quidem, quod

quod Dominicanos illos tres in subsidium vocet illius opinionis, quae irritum censet esse votum castitatis, si qui vovit incipiat tentari libidine, cum tamen eos tantum laudet ut approbatores hujus regulae; *id, quod, si prius esset, votum impediret, si superveniat, irritat votum emissum*. Altera falsa criminatio est, quod Moya eam sententiam non oppugnet, quando tamen eum argumenta, quibus nititur diluere, & contrariam amplecti constat. Falsam esse priorem criminationem ostendere te posse putas his Moyae verbis loco cit. num. 12. „ Quod autem circumstantia adveniens post votum emissum, quae si antea adfuisset, irritum redderet; ejus obligationem aut tollat, si est perpetua; aut suspendat, si temporalis, tradit cum omnium Magistro D. Thoma, M. Dominicus Baltanas in Margarita Confessorum Hispalis edita anno 1526. fol. 66. dicens: *secundum Beatum Thomam quidquid votum impediret, si prius esset, aufert obligationem, etiam voto facto*. Et idem de juramento docet fol. 133. Idemque tenet cum doctissimis Dominicanis P. Thomas Sanchez lib. 4. cap. 2. num. 23. dicens: D. Thomam, Silvestrum, Tabienam, & plures doctores hanc regulam

,, lam tradere: * id liberat voti, aut juramenti obligatione, quod si a principio
,, accidisset, impediret ea fieri *. Quae quidem regula, inquit ipse, sic intelligenda
,, est, * ut sicut non valeret, quando materia esset ab initio mala, indifferens, aut
,, majus bonum impediret; ita si quae ab
,, initio erat legitima materia, efficiatur
,, postea mala, indifferens, aut majus bonum impediat, efficiet, ut cesset obligatio. Et ita explicant Cajetanus in Sum.
,, V. *votum* cap. penult., & 2. 2. quaest. 88.
,, art. 3. column. penult. V. *Ad hoc dicitur*
,, *quod de voto &c....* haec Sanchez,,.

Hactenus Moya. Sed errat Moya, errat Sanchesius, erras tu quoque, & quidem omnium maxime, quippe quem oportebat, diligentiorem esse in perscrutanda Thomae, Cajetani, & aliorum Thomistarum sententia; neque tam facile adjungere Moyae fidem, ut ejus descriptis verbis, continuo, quasi re confecta, Concinae insultares hoc modo: ,, Doceat nunc P. Concina, ubi Moya alleget
,, laudasos Dominicanos pro ea sententia.
,, Doceat quid attribuat ipsis, quod vere
,, non dixerint. Ipse non refert bona fide
,, eorum doctrinam, dicit eos solum docere,
,, fieri nullum votum quoties ejus materia
,, eva-

„ evadat inepta, vel impossibilis, cum do-
„ ceant rem valde diversam, nempe regu-
„ lam illam universalem superius exposi-
„ tam „. Quem profers, Noceti, ad id confirmandum eorum locum? Quo Thomae, aut Cajetani testimonio planum facis, haud recte, bonaque fide exposuisse Concinam eorum doctrinam, neque vere scripsisse, nihil aliud eos docuisse, *nisi fieri nullum votum, quoties ejus materia evadit inepta, vel impossibilis*? Unum tu profers Moyae testimonium, quo descripto, quasi testem adduxeris satis idoneum doctrinae Thomae, Cajetani,& aliorumThomistarum,palam esse clamas,quid illi senserint Thomistae, neque bona fide exposuisse Concinam eorum doctrinam.Ridiculum.Nam cumConcina hujus criminis Moyam insimulet, oportuit te aliquem Thomae, aut Cajetani locum proferre, quem lector cum verbis Concinae, & Moye oratione conferens, utrius melior esset fides, deque tua accusandi diligentia judicaret.Fac igitur attentum te praebeas,nam egoMoyam,&,quem ille laudat,Sanchesium, doctrinae Thomae, & aliorum Thomistarum testes non esse satis idoneos aperte demonstrabo. Et quoniam nimis longum esset de singulis dicere, duobus contentus ero,
Tho-

Thoma & Cajetano, quos imprimis laudatSanchesius,& a quibus tam dilucide haec res explicatur, improbaturque *regula illa generalis*, ut mirum sit adeo hallucinari potuisse Casuistas, ut os sibi consentientes putarent. Itaque Cajetanus loco posteriore ab Sanchesio cit. quaestionem proponit de muliere „ quae vovit virginitatem ratione
„ non continentiae absolute, sed conti-
„ nentiae virginalis: an corrupta culpabi-
„ liter, teneatur continere? Et est ratio du-
„ bii, quia si ista fuisset praescia sui casus
„ non vovisset, sicut nec vovisset, si fuis-
„ set corrupta. Allegatur siquidem dictum
„ Auctoris in 38. dist.4. sent. quaest.1. art.
„ 3. quaestiuncul 1. ad 1. quod illud, quod
„ votum fiendum impediret, si praesens es-
„ set, etiam voto facto obligationem au-
„ fert „.

Ecce tibi quaestionem, sive *casum*, ut vocant, de quo disputamus, & in extremis verbis *regulam illam*, de qua inquirimus, quo tandem modo intelligi conveniat ex sententia Thomae, & Cajetani. Audi nunc Cajetanum, & disce qua fide digni sint Casuistae, cum novas opiniones nostrorum Theologorum auctoritate confirmant. Is enim negat, mulierem, de qua loquitur,

solutam esse voti *obligatione*;&de regula divi Thomae sic habet:„ Auctoritas autem allata „ auctoris non suffragatur, & male videtur „ intelligi:(ut nunc intelligitur ab Moya,ab „ Sanchesio,ab Nocetio)quoniam auctor lo- „ quitur de impedimento voti,& non de im- „ pedimento voluntatis voventis. Et docet, „ quod quidquid impediet votum fiendum, „ aufert voto facto obligationem, ut patet „ de materia impossibili ibidem pluribus e- „ xemplis. Oportet enim votum habere „ materiam possibilem, quoniam ad im- „ possibile nemo tenetur: & non docet quod „ quidquid impediret voluntatem voventis, „ si praesens esset, auferat a voto facto „ obligationem. Haec enim doctrina (hic „ adverte animum Noceti) universas reli- „ giones cum clero enervaret: quoniam in- „ numeri eventus,si praesentes essent,quan- „ do fit votum, impedirent voluntatem vo- „ ventis, qui tamen non auferunt voto fa- „ cto obligationem „. Eo te monui, ut ad extrema verba animum adverteres,quod eorum similia sint,quae Concinam scripsisse doles pag. 141. *Quod supervenientes tentationes, & lapsus in venerem impossibilem reddant castitatem haeresis est Lutherana*. Hoc enim, & aliis pluribus, in quibus idem in-

cul-

culcat, collectis locis: „ haec, inquis in „ extremo capite, Moya non scripsit, quia „ putavit etiam sine ipsis posse solide & „ theologice impugnari sententias „. Quasi vero Concinae quaerendum esset, quid scriberet Moya, neque scribere liceret, nisi quod antea Moya scripsisset. Atqui satis illi esse debuit, quae non scripsit Moya, ea scripsisse Cajetanum, qui lectorem monuit, hac regula generatim accepta cum Clerum, tum universas Religiosorum familias funditus convelli: quod perinde est, ac si eam errori Lutheri, & Calvini, qui Monachorum vota oppugnarunt, affinem esse dixisset. Quod si Concina primus omnium scripsisset, nihilosecius probandum esset, eo quod nihil occurrat, cur non sit verissimum. Deinde eo Moya non scripsit id, quod Concinam scripsisse doles, non quia putarit, ut dicis, posse nihilosecius hanc sententiam solide refelli; sed quia putavit, non posse omnino refelli, quod quia abs te negatur, paullo post perspicue demonstrabitur.

Nunc, ad rem quod attinet, quid magis contrarium huic opinioni Casuistarum, sive illi regulae generatim acceptae, quam doctrinaCajetani?Nihil est opus oratione. Improbat enim manifeste regulam illam genera-

ralem, nihilque in ejus doctrina reperitur appositum ad id, quod Moya, & Sanchesius interpretantur, aut quod ei, quod Concina intelligit, adversetur. Imprimis autem consideres velim, ea distinctione, quam suppeditat Cajetanus, non solum regulam Divi Thomae recte explicari, sed etiam Casuistarum errorem egregie refelli. Quid enim verius, & ad id, quod Concina sustinet, magis apposite dici potest, quam distingui debere *impedimentum voti ab impedimento voluntatis voventis*; & primum quidem obstare, alterum non obstare, quo minus fiat id, quod voto promissum fuit? Relinquitur ergo, Thomam, & Cajetanum contrariam errori Moyae tenuisse sententiam, neque injuria reprehensum ab Concina fuisse Moyam, qui eos sibi scripserit esse consentientes.

Nam quod scribis pag. 44. Thomam & alios Thomistas non laudari a Moya „ pro „ ea sententia, sed pro eo, quod vere do- „ cent, scilicet pro hac regula universali: „ *id, quod si prius esset votum impediret*, „ *si superveniat irritat votum emissum* „ quod, inquam, hoc modo scribis non ullum quidem Concinae erratum, sed tuam demonstrat incredibilem quandam cavillandi libi-

libidinem, a qua tamen vindicem veritatis oportebat esse remotissimum. Primum jam falsum esse ostendi, probatam esse Thomae, & aliis Thomistis regulam illam generalem. Deinde qua ratione sententiam, de qua agitur, ab regula illa generali ita distinguis, ut hanc, non illam Thomae, & aliis Thomistis tributam ab Moya fuisse contendas? Regusta cum supra descriptum Cajetani locum, tum Mojam, & Sanchesium hac de re disserentes, & facile intelliges, nihil esse, nisi regulam illam generalem, sententiam horum Casuistarum, vel hanc cum illa ita connecti, ut altera ab altera sejungi nullo modo possit. Nimirum intelliges, ex ea regula, si generatim accipiatur, recte concludi, sin autem ita, ut explicat Cajetanus, intelligatur, nullo modo concludi sententiam Casuistarum. Quare cum recte conclusa sententia ab ea ratione, ex qua concluditur, nullo modo distinguatur; cumque Moyam Thomae, & aliis Thomistis tribuisse concedas regulam illam generalem, fatearis oportet, consequentem ex ea tribuisse sententiam, lectoribusque per summam injuriam persuasisse, ab Thoma, Cajetano, & aliis Thomistis factum esse hac in re errandi principium. Vide quam multa turbes, ut damnatum vin-

dices Casuistam, & unam refellas Concinae criminationem.

CLXV. Non minora peccas in altera criminatione refellenda. Nam quod Moya diserte docet, id eum docere negas; & Concinam, qui vera scripsit, imposturae condemnas. Lectorem is monuit in extremo testimonio, neutram ab Moya oppugnari sententiam, sed utramque cum earum argumentis proponi. Quid tu ad haec? Quod saepe te facere animadverti, quotiescumque incidit quaestio: utram partem probet, vel improbet is, de quo agis, Casuista. Nam cum ea dissimulas, quibus concludit disputationem suam, & utramque partem obstinate probabilem esse contendit, cum quae in alterutram disputat, aut quibus unam alteri praefert, probabilioremque esse demonstrat, ea tantum profers, ut fucum facias imperitis, palamque esse dictites, eum sic uni parti adherescere, ut alteram prorsus rejiciat. Sed antequam quid Moya senserit profero, lubet orationem describere tuam, quae licet admodum prolixa sit, per belle tamen ostendet qui Concinae accusator, & vindex sis veritatis. Itaque pag. 45. „ secunda im-„ postura est, inquis, P. Moyam reipsa „ non impugnare eam sententiam; sed cum „ suis

„ ſuis argumentis eam lectoribus proponere. In primis P. Moya citato paragrafo tertio, impugnat primam opinionem, quae docet irritari votum ob fragilitatem antecedentem, impugnat, inquam, rationibus non ſolum communibus, ſed a fortiori militantibus contra ſecundam, quae docet votum irritari per fragilitatem ſupervenientem. Quod ſatis eſſet ad refellendam impoſturam. Verum hoc omiſſo duo tantum ſunt argumenta a ſuis Patronis allata pro ſecunda opiuione. Primum eſt moleſta paritas petita ex prima. Secundum eſt, fragilitatem ſupervenientem, & crebros lapſus reddere caſtitatem moraliter impoſſibilem, ac proinde materiam ineptam voti.

„ Haec duo non proponit Lectoribus P. Moya ſine ſolida reſponſione. Diſſolvit primum, negando primam ſententiam, deſtruendo ejus fundamenta, amplectendo, ac probando contrariam rationibus a fortiori militantibus contra ſecundam, ut dictum eſt. Diſſolvit ſecundum dicendo, caſtitatem fieri poſſe moraliter poſſibilem per remedia Orationis, & Poenitentiae, hominemque illum obligari ex vi voti ad haec remedia adhibenda, ut Deum ſibi

„ propitium, & moraliter possibilem Ca-
„ stitatem reddat. Proponit igitur quidem
„ P. Moya eam sententiam cum suis argu-
„ mentis: sed proponit etiam solutionem;
„ quidquid in oppositum persuadere enita-
„ tur Lectoribus P. Concina.

„ Advertit praeterea P. Moya, votum
„ jam ante fuisse emissum; ideoque esse in
„ possessione obligandi. Quo posito; & ad-
„ juncta solutione illius duplicis argumen-
„ ti, continetur in verbis Moyae, si eam
„ P. Conc.na videre velit, solidissima haec
„ ejus sententiae impugnatio, quam hoc
„ pacto efformare juvat. Ex una parte vo-
„ tnm illud, utpote emissum ante superve-
„ nientem fragilitatem, est in possessione
„ obligandi. Ex alia, nulla est solida ra-
„ tio deturbandi votum a sua possessione:
„ non paritas petita a prima sententia, quia
„ illa falsa est: non moralis impossibilitas
„ Castitatis; quia ille homo obligatus est
„ *ex vi voti*, ad remedia Orationis, & Poe-
„ nitentiae adhibenda, quibus reddat Deo
„ juvante Castitatem sibi moraliter possibi-
„ bilem: Ergo illud votum in sua possessio-
„ ne perseverat.

„ Hujusmodi vero impugnationem
„ contineri in doctrina, & verbis Moyae fa-
„ cile

„ cile ostenditur, producto textu. Nam „ Moya postquam §. 3. num. 20. & 21. impugnavit primam sententiam, ex qua desumitur paritas pro secunda, ad hanc „ deveniens num. 22. ita loquitur.

„ *Si vero post emissum Votum fragilitas carnis adveniat, specialis est difficultas, quia neque implicite videtur vovens se obligasse ad media rigorosa abstinentiae, & extraordinariae Poenitentiae: & forsan si propensio illa in Venerem praecessisset, non emitteret votum, & quandoque id certo moraliter judicat. Nihilominus cum hic casus, non sit ex raro contingentibus, sed ex illis, qui pro diversitate occupationis, & aetatis evenire solent, & aliunde votum sit in possessione obligandi, pro illo sententiam ferendam censeo; ideoque tenendum, voventem implicite se obligasse ad alia Orationis, & Poenitentiae remedia adhibenda, quibus a tentationibus carnis vehementibus liberetur, & melius sibi redat a Matrimonio abstinere, quam oppositum*.

„ Dicant, quaeso, Lectores, quid hic „ Moya insolutum relinquat? Dicant quid „ ego in efformata impugnatione imposuerim, quod in doctrina, & verbis Moyae

„ non

„ non includatur ? Et tamen, si Petri Con-
„ cinae habenda est fides, Moya *reipsa eam*
„ *sententiam non impugnat*, *sed illam cum*
„ *suis argumentis*, *Lectoribus proponit* „.
Quidnam lectores, quos appellas, dicturi sint, facile divinare possumus.

Nam qui unius libelli tui lectione contenti erunt, ii Concinam haud dubie impostorem vocabunt. Quid enim manifestius, si nihil aliud praeterea quaeratur, quam Moyam utramque improbare sententiam? Sed quid tu eos dicturos putas, qui lecto Moya, & iis cognitis, quae disserit in extrema disputatione, intelligent, eum itarem concludere, ut velit utramque sententiam, esse probabilem; quaeque egregie solverat, ut tu quidem jactitas, dilueratque argumenta, ea rursus firma, & ad suadendum idonea esse pronunciet perinde, ac si de iis solvendis ne per somnium quidem cogitasset, ac prorsus intacta reliquisset? Ne longum faciam, postquam ea disseruit, quae abs te descripta sunt, & in majus verbis aucta, quaerit tandem num. 23. „ An praedicta
„ castitatis & Religionis vota a propenso in
„ venerem sive ante, sive post fragilitatem
„ cognitam, emissa, sint Pontifici reser-
„ vata ?

At-

Attende jam quemadmodum huic quaestioni respondeat Casuista, a quo ambas illas opiniones cum suis argumentis lectoribus uti probabiles propositas fuisse negas, & Concinam, qui hoc scripserit, imposturae condemnas. „ Respondeo: partem negativam „ esse satis probabilem, quia Doctorum au- „ ctoritas, & argumenta contra eorum va- „ lorem §. 1. & 2. adducta, (& §. 3. num. 22., uti dictitas, bene accurateque soluta), „ ef- „ ficaciter suadent, non esse certam talium „ votorum obligationem, ac proinde non „ esse reservata, quia cum reservatio sit „ odiosa, ad sola vota certo valida restrin- „ genda est. &c. „ Haec ipso sole illustriora sunt, & Concinae egregiam fidem in exponenda hujus Casuistae sententia fuisse demonstrant; manifeste enim imponens disputationi finem in eo perstat, ut has sententias probabiles esse defendat, & adeo probabiles, ut opus non sit ad ea vota solvenda Romani Pontificis auctoritate. Quid amplius desiderari potest ad id, quod ago, conficiendum, nihil de eo scripsisse Concinam, quod cum ejus dictis non magnopere cohereat? Nisi forte dicere vis, oppugnari ab Probabilista sententiam, in qua tantam inesse putat probabilitatem, quanta requiritur ad

ad id praestandum; quod Romani Pontificis praestaret auctoritas. Equidem mihi videntur aequi rerum aestimatores, his lectis, gratulari Concinae egregiam fidem, mirari confidentiam tuam, atque adeo secum ipsos loqui: quousque tandem patiemur, nobis a Casuistis illudi, & his scriptoribus pergemus fidem habere, qui tot fraudibus, & mendaciis Christi doctrinam, & sapientum virorum, qui eam tuentur, egregiam fidem labefactare conantur? Moya ecce, qui Thomam, Cajetanum, Silvestrum, Tabienam, quam non tradunt, regulam tradere propugnat; duos ipse magnos tuetur errores. Haec Concina non tacet, Lectoresque monet, cavendum esse Casuistam. Quid Nocetius? Primum Thomam, & reliquos Thomistas eadem, qua Moya, afficit injuria, utque hos Theologos, quam Moya scribit, eam tradere ostendat regulam, Moyam ipsum testem adducit: deinde, cum quaeritur quid senserit Moya, quae ad id declarandum maxime pertinent, ea dissimulat, quae omnino non pertinent, haec diligenter profert, quo facto Concinam imposturae, & malae fidei clamitat esse convictum. Ubi fides? Ubi veritas? Ubi honesta, & digna homine Christiano reprehendendi ratio? An non opor-

oportebat, non solum Moyam, sed etiam Thomam, & Cajetanum legi ab eo, qui demonstrare vellet, ab Moyane, an ab Concina recte horum Theologorum fuisset exposita sententia? Deinde quid attinuit ad id, quod Moya sentiret, declarandum ea proferre, quae in utramque partem disputat, vel quibus alterutrius argumenta solvit, si cum eo ventum est, ut disputationem concludat, utramque probabilem esse contendit? An ignorabat Nocetius, consuesse Probabilistas ita unam partem deligere, probabilioremve esse affirmare, ut contrariam non laedant, hujusque argumenta solvant, non ut ea nihil valere concludant, sed solum ut tantisper disputent, & quae contra dici possunt, ea lectoribus proponant?

His te Noceti respondere convenit, & ostendere quodnam sit, in quo te bona fide, Concinam mala usum esse pervincere possis. Sed si Thomam, Cajetanum, & Moyam ipsum leges, & ipsis eorum verbis rem conficere voles, haerebis tu quidem, & quid respondeas nusquam reperies.

CLXVI. Nunc, quoniam ostendi nihil in Moya criminatum esse Concinam, quod dignum non esset magna reprehensione, patere, ut nonnulla dicam de his argumentis, quae

quae Moya tam firma esse putat, ut ne soluta quidem suam vim amisisse arbitretur. Id eo faciendum puto, quod quamquam ridicula sint, & plena omnium ineptiarum, ea tamen tu quoque magni facias, & hos excuses Casuistas, si talibus argumentis adducti eam sententiam tenuerunt, quam acriter Concina refellit.

Itaque „ duo tantum, inquis pag.45, „ sunt argumenta a suis Patronis allata pro „ secunda opinione: primum est molesta pa„ ritas petita ex prima.

Qua de re scribis etiam pag.43. „ citat (Moya) Petrum de Ledesma Dominica„ num, tanquam Antesignanum opinio„ nis, quae propugnat votum illud (fa„ ctum a mulieroso) esse invalidum, ex „ qua ceteri deinde a Patre Concina vexa„ tissimi intulerunt, ob paritatem rationis, „ invalidum quoque fieri votum propter „ fragilitatem supervenientem.

Si, ut Concinam partium studii convincas, quasi tacuerit de Ledesma, eo memoras hunc Casuistam, a quo primum defensa fuerit haec opinio, certum habe, te vehementer falli, propterea quod Concina de eo non tacuit. Videre hoc potes pag. 140, ubi eum fuisse scripsit hujus sententiae fautorem. Si autem

co

eo memoras, ut demonstrato scriptore, a quo profectum est initium errandi, dignos aliqua excusatione fuisse ostendas Casuistas, qui ex ejus sententia aliam deteriorem concluserunt, falleris nihilominus; quandoquidem eam sententiam ex sententia Ledesmae male, atque inepte concluserunt. An scriptum erat in Evangelio, vel in aliquo Concilio, irritum esse votum castitatis, si fiat a mulieroso, ut hoc ipsum, & si quid ex eo esset consequens negligi non posset? Sed attende, Noceti, quam tandem conficiant argumentationem; libet enim totam proponere, ut planum fiat quam leve & inane sit id, quod firmum, & solidum appellas. Quod cavillatur Ledesma irritum esse votum castitatis, si fiat ab eo, qui libidine urgetur, id probant continuo Casuistae duo vel tres; &, quasi error Ledesmae firmum esset ratiocinandi principium, assumpta regula: *id, quod, si prius esset, votum impediret, si superveniat, irritat votum emissum*, concludunt, nec illius quidem valere votum, qui postquam vovit, coepit tentari libidine. Haec est argumentatio, cui tam perversa nititur opinio, quamque Moya tam firmam esse arbitratur, ut eidem Romani Pontificis cedere debeat auctoritas. Sed non animadvertit homo ratio-

tiociṅandi imperitus ea ſe ſumere ad concludendum, quorum illi nihil conceditur. Non conceditur ſumptio, quia leviſſima unius Caſuiſtae nititur auctoritate, quae multo facilius, quam unius Patris, aut eximii Theologi auctoritas, praeteriri poterat. Non conceditur aſſumptio, quia regula illa generatim accepta, quo modo apta eſt ad concludendum, falſa eſt, neque vero traditur, ut mentitur Moya, a D. Thoma, & Cajetano, ſed ab his, ut oſtendi, omnino improbatur, atque ita proponitur, ut apta non ſit ad concludendum. Quae ſupra dixi, ea legas, ſeu potius Thomam & Cajetanum legas oportet, ut agnoſcas Moyae, & aliorum Caſuiſtarum imposturam, neque amplius jactites, eos coactos rationis ſimilitudine fuiſse, unam ex alia concludere ſententiam. Nam ea regula ita, ut traditur a Divo Thoma, & ab Cajetano explicatur, intellecta, omnis omnino tollitur rationis ſimilitudo. Jam cum in omni argumentatione, ſumptione, vel aſſumptione non conceſsa, jaceat tota concluſio, quid hac Moyae concluſione fiet, ſi neutrum concedatur? Atque hujuſmodi quidem ſunt, ut id obiter dicam, fere omnes argumentationes Caſuiſtarum, quibus crevit ea opinionum probabilium multitudo, quam

quam hodie diligenter aversamur. Non enim quae firma, certa, & explorata sunt, ea sumunt ad concludendum; sed quaecumque Theologus hallucinatur, aut alius scribit oscitans Casuista, ea nihil haesitantes arripiunt, componentesque cum alia opinione probabili, vel cum aliqua juris, aut Theologiae regula, quam ipsi ad libidinem interpretantur, conficere se putant firmissimas argumentationes, quibus nemo resistere possit, & id, quod volunt, solide conficiatur. Communis est quidem, ut dixi, haec argumentandi ratio plus, minusve omnium Casuistarum; sed tamen in ea excellit Moya, de quo sexcenta, si opus esset, petere possem exempla; sed non est opus, quandoquidem id non ago, & ex iis, quae hactenus adduxi, facile de ceteris judicari potest.

Restat, ut de altero argumento dicendum sit. Hoc autem est hujusmodi, inquis pag. 45. ,, fragilitatem supervenientem, & ,, crebros lapsus reddere castitatem moraliter impossibilem, ac proinde materiam ,, ineptam voti ,,.

Hoc argumento prior Ledesmæ, non hæc altera Moyae nititur sententia: haec enim nihil aliud habet, quo nitatur, nisi superio-

riorem, quam confutavi argumentationem. Ex quo magis intelligi poteſt error Moyae, qui probabilem dixerit opinionem, quam nulla ſolida ratio confirmaret. Utcumque tamen ſe res habeat, hoc quoque argumentum nullum eſt. Concedo, libidinem, quae ſaepe numero lapſa eſt, *moraliter impoſſibilem*, hoc eſt magis arduam atque difficilem, (nihil enim aliud intelligi poteſt), reddere caſtitatem, ſed nego, quod addis: *ac proinde materiam ineptam voti*. Non enim eſt connexum,. Nocceti: *res ardua eſt, atque difficilis, ergo non eſt idonea voti materia*; alioquin voluntatem ſuam ex: cauſ. ad alterius voluntatem perpetuo accomodare, vel eniti majorem in ſingulos dies acquirere perfectionem, & id genus alia, quae multo maxime ardua ſunt, & difficilia, ad voti religionem non pertinerent. Hic forte dices, haec eſſe contrariis meliora non ſolum natura ſua, ſed etiam ſi ad homines referantur; contra caſtitatem natura ſua, non item in eo, qui lapſus eſt, matrimonio eſſe potiorem. Sed falleris. Nam quod voto promittitur, id non natura, ſed comparate ad eum, qui vovet, melius eſſe oportere, oppido falſum eſt, & ab his Caſuiſtis excogitatum, ut ſuam tueantur opinionem. Qua

de

de re nihil attinet a me plura dici, satis enim ab Concina hoc in loco explicata est.

Hoc modo recte solvitur alterum argumentum, si tamen ad id, quod in eo sumitur, infirmandum addantur ea, quae scribere dicis Moyam: „ Castitatem fieri „ posse moraliter possibilem per remedia „ orationis, & poenitentiae, hominem- „ que illum obbligari ex vi voti ad haec re- „ media adhibenda, ut Deum sibi propi- „ tium, & moraliter possibilem castitatem „ reddat „.

Haec sane probo, neque melius dici potest, ut ostendatur, nihil esse reliquum, quo haec nitatur Casuistarum opinio. Cur Moya non probarit; cur, quod isto modo solverat, argumentum rursus firmum, & ad hanc opinionem confirmandam idoneum, & ipsam opinionem probabilem appellarit, ex te libenter audirem. Ego nihil aliud cogitare potui, quam quod *gratiae versatili*, cui resistere, vel obtemperare situm est in hominis voluntate, diffidens, huic subsidio voluerit esse probabilismum, ut, quoniam difficile esset tam affectos animos ejusmodi *gratiae* non resistere, iidem in probabilitate opinionis perfugium invenirent. At multo satius est, hunc nostrum, de quo hactenus

dictum est,hominem mulierosum,relictis his nugis & probabilitatibus, quae omnino nullae sunt, uni Deo maxime confidere, eamque gratiam ab eo postulare,quæ voluntatem suapte vi ad virtutem convertat,quaeque tam multos, ut numerari non possint, in quibus nullus esset modus libidinum, & obscaenarum voluptatum, non solum ad sanitatem revocavit, sed etiam ad eximiam produxit sanctitatem.

De Moya quarto. CLXVII. Sed pergamus ad reliquas,ut tu vocas, Concinae imposturas, seu potius, ut ego jamdudum ostendo, tuas, & Moyae aberrationes. Caput ecce libelli tui LVIII. ita inscribis: *Vindicantur ab evidenti impostura Terillus, & Moya*. Quid ita? Quia Concina scripsit, inquis, tom. VI. pag. 32. „ Opinionem Terilli,& Moyae docentium „ cum aliis,fas esse eligere sententiam unius „ docti viri auctoritate munitam, tametsi „ legi repugnantem, anathemate confixit „ Ecclesia Romana „. Negas igitur Moyae & Terillo probatam esse ejusmodi sententiam:nonne? Ego vero ostendam,primum ea verba ad Concinam minime pertinere, sive ita ab Concina scriptum esse, Moyam, & Terillum illius sententiae fuisse fautores, ut verum esset, necne, quod scriberet, nihil omni-

omnino definiret; deinde quod scripsit, verum esse, propugnatamque ab Moya, & Terillo fuisse sententiam de sequenda unius docti junioris auctoritate. Itaque adverte animum. Quid agit Concina loco indicato? Qua de re disputat? An de Moya, & Terillo; aut de ea sententia, quam Ecclesia damnavit? Ne per somnium quidem. Nam omne illi certamen est cum Francisco Budaeo Scriptore Lutherano, quem hoc nomine reprehendit, quod loquens *in historia juris naturalis* §.13. de probabilismo, & de peccato philosophico, initia quaedam horum errorum reperiri scripserit in operibus Thomae, & Bonaventurae, quos proinde aggregare non dubitavit in numerum Casuistarum, qui eas sententias propugnarunt. Hoc, inquam, nomine Concina Budaeum redarguit, querentemque eo progressos esse Fabrum, Terillum, & Moyam, ut vel unius junioris, qui cum ceteris pugnet, probabilem esse defenderint opinionem, non injuria malae fidei, & dissimulationis accusat, propertereaquod scriptoris a partium studio, maledicendique libidine liberi magis esset, Ecclesiae Romanae in his erroribus reijciendis studium laudare, quam ex paucorum inscitia, qui eos errores defendissent,

ſent, occaſionem arripere Catholicis inſultandi. Deſcribam tamen oportet orationem Budaei, & Concinae confutationem, ut plane conſtet quibus artificiis ejus innocentia, & Theologia chriſtiana a vobis oppugnetur. Recita ſententiam Budaei.
„ Hujuſmodi figmentorum ut ut jam
„ in antiquioribus illis Thoma, Bona-
„ ventura, Vaſqueſio, Sancheſio, Ca-
„ rena, Navarro, Corduba, Azorio, Ra-
„ mirezio, Caſtanegio, Eſcobario, Le-
„ deſma, Valentia, Caſtropalao, Medi-
„ na, Sanctio, Aragonio, Lopeſio, Mar-
„ tinezio, Zanardo, Villaboſio, aliiſ-
„ que, cum primis vero Diana veſtigia
„ quaedam deprehendantur; recentiores
„ tamen, Honoratum Fabri, Antonium
„ Terillum, Amadeum Guimenium, &
„ plures audacia eo uſque provexit, ut non
„ tantum aſſererent, ſed & ſcriptis publi-
„ cis contenderent, fas eſſe eligere ſen-
„ tentiam, vel unius viri doctrina inclyti
„ auctoritate munitam, ut ut ceteroquin
„ legi plane repugnantem „.

Hanc orationem Scriptoris Lutherani cum malae fidei, tum ejus libidinis, qua flagrant hujus generis Scriptores, Eccleſiae Romanae maledicendi plenam eſſe, oſtendit

dit Concina loc. cit. hoc modo : „ Quod
„ inter cetera obfirmatam Lutheranorum
„ coecitatem mihi evidenter patefacit, est
„ illorum apertissima mala fides in factis
„ Catholicorum enarrandis, eorumque
„ doctrinis exponendis. Non est magni mo-
„ menti, quod nunc indicaturus sum; ta-
„ men & hoc manifestat istorum candorem,
„ & sinceritatem. Casuistarum, & quidem
„ laxiorum turbae accenset Budaeus duos
„ Ecclesiae Doctores Thomam, & Bona-
„ venturam. In eodem subsellio, cum Es-
„ cobario, cum Diana, cum Villalobosio,
„ illos collocat eruditissimus Historico-
„ Criticus. Errores, quos obtrudit duo
„ evincunt, & illius calumniandi animum,
„ & Ecclesiae Romanae vigilantiam in sa-
„ nioris doctrinae deposito custodiendo.
„ Peccatum philosophicum, & opinionem
„ Terilli, & Moyae, docentium cum aliis
„ fas esse eligere sententiam unius docti vi-
„ ri auctoritate munitam, tametsi legi re-
„ pugnantem, anathemate confixit Ecclesia
„ Romana. Quin prima ipsius probabilis-
„ mi capita damnavit &c. „

Ex hac Concinae, & superiore Budaei oratione intelligere quisque potest, Concinam Budaei verba tantum exscripsisse, non

ut eam ſententiam tribueret Moyæ,& Terillo, ſed ut nihil eſse cauſsae demonſtraret, cur eam Budaeus Catholicis obijceret, cum ea ab Eccleſia Romana eſſet improbata. Nulla autem erat cauſsa, cur Concina inquireret, utrum ab Moya, & Terillo, quod Budaeus affirmabat, defenderetur, cum de ea ſententia, ejuſque fautoribus hoc loco non ageret, neque Moya, & Terillus tales eſsent Caſuiſtae, ut dubitare poſset, utrum in ejuſmodi errorem incidiſsent.

Accedit huc, quod nullam habitura fuiſset Concinae oratio dignitatem, ſi dum Budaeum eo nomine reprehenderet, quod duos Eccleſiae Doctores in numerum Caſuiſtarum invidioſe contuliſset, is uno tempore Moyam,& Terillum vindicandos ſuſcepiſſet, eamdemque iis, atque Thomae, & Bonaventurae rationem habuiſset. Denique quid attinuiſset cum Scriptore Lutherano cavillari de Moya, & Terillo, quando certum erat, eam ſententiam noſtrorum fuiſse Caſuiſtarum, & ſin minus a Moya, & Terillo, at certe ab Fabro, Sancheſio, Tannero, Tamburino fuiſse propugnatam? Sed nimium longi in re perſpicua ſumus.

CLXVIII. Videamus igitur recte ne Moyam, &Terillum in ea ſententia fuiſse neges, quod erat

erat alterum, de quo me dicturum promisi. Quid? Hoc ne etiam, inquies, in dubium revocabis, num Moya in opere selectarum disput. (tract. 1. qu.4. §. 4.), proscriptam sententiam improbarit? Quid clarius his Moyae verbis? „ Ex dictis colliges primo „ falsam, & improbabilem esse sententiam „ asserentium opinionem typis datam ab „ aliquo juniori, & moderno eo ipso debe- „ re censeri probabilem, dum non constet „ ab Ecclesia fuisse rejectam „.

Ego vero non nego Noceti, Moyam hoc loco proscriptam improbare sententiam; sed te recte usum esse hoc Moyae testimonio, ad id, de quo est inter nos altercatio, declarandum, ridiculus essem, nisi negarem. Quid? An Budaeus, & si vis, Concina, uspiam scripsit, ausum esse Moyam proscriptam ab Ecclesia tueri sententiam? Nam haec Concinae verba (dabo enim, quando ita vis, esse Concinae) „ Sententiam „ Moyae, & Terilli docentium cum aliis „ fas esse eligere sententiam unius viri do- „ cti auctoritate munitam, tametsi legi re- „ pugnantem, anathemate confixit Eccle- „ sia Romana, haec verba, inquam, perstitisse Moyam in ea sententia, quam Ecclesia diris devovit, minime indicant, sed id

tan-

tantum, qnod est verissimum, eo progressum esse Moyam in defendendo probabilissmo, ut sententiam propugnarit (quam postea Ecclesia damnavit) de sequenda unius docti junioris auctoritate. Quid igitur attinuit ad hanc rem expendendam, convincendumque Concinam, atque adeo Budaeum imposturae ea proferre, quae scripsit Moya post promulgatum de ea sententia Ecclesiae judicium? Nosti enim opus, quod laudas *select. disput.* editum primum fuisse anno 1670. (Hac enim editione, quae extat in Bibliotheca Coenobli Minervitani, neque ego vidi, neque Alegambius memorat antiquiorem) scilicet post promulgatum anno 1665. Alexandri Pont.Max. decretum, quo haec sententia reijcitur. Quamobrem mirum non est, si etiam ab Moya in eo opere reijciatur, quamquam defensa esset ab eo in eo libro, quem ediderat ante Decretum Alexandri VII., & ubi se nominat Amadeum Guimenium. Et vero antequam de Budaeo, & Concina expostulares, quodque illi de Moya scripsissent, acriter reprehenderes, debueras omnino animadvertere, quod Moyae opus iidem indicarent. Nam intellexisses, Concinam quidem, ut qui Budaei verba tantum exscribat, nullum,

lum, Budaeum autem illud in margine, significare, in quo sibi nomen indidit Amadei Guimenii. Scribit enim hoc modo: *In singul. Theol. Moralis* &c.

CLXIX. Quid igitur? Negas ne defendisse Moyam hoc loco sententiam, quae postea damnata est. Nam si non negas, cur dissimulas? Cur Concinam accusas? Cur fucum facis imperitis eo testimonio, ubi Moya parere se dicit Ecclesiae judicio? Sin autem negas, ea legito, quae scribit in Tract. de opin. probabil. Edit. Matritens. ann. 1664. propos. 1., quae sic se habet: „ Quamvis opinio sit „ falsa, potest quilibet tuta conscien- „ tia illam practice sequi propter au- „ ctoritatem docentis. Tannerus Jesuita „ 2.2. disput. 5. quaest.8. dub.4. num. 99. „ ℣. *ex quibus* „ Probat hanc propositionem Guimenius loc. cit. (Tu fac attentum te praebeas. Nam ut diligenter consideres, quemadmodum probet, magni interest utriusque nostrum). „ Respondeo loc. cit. „ nec verbum de hac opinione. Verum „ quaestionem exagitat 1.2. disp. 2. qu. 4. „ dub. 3. num. 33. ubi cum pluribus aliis „ existimat, eum, qui judicat aliorum „ opinionem improbabilem a principiis in- „ trin-

„ trinſecis, poſse nihilominus ab extrinſe-
„ cis propter auctoritatem docentis judica-
„ re probabilem, & juxta illam operari.
„ Quae doctrina fere comunis eſt inter Do-
„ ctores, quos citatos ſequuntur Angelus
„ Boſſius ....., Paſqualigus ....., Verricel-
„ li dicens : ex auctoritate unius tantum
„ poſse quem illam amplecti, licet a prin-
„ cipiis intrinſecis falſam, & improbabi-
„ lem exiſtimet „.

Pergit deinceps aliorum teſtimonia cumulare, quibus ſuo modo propoſitis, ita perorat n. 3. „ En quot Doctores militent
„ pro ſententia Tanneri, cujus unius auctori-
„ tas ſufficeret ad efficiendam probabilem
„ juxta doctrinam doctiſſimi Magiſtri Serra,
„ 1. 2. quaeſt. 19. art. 61. fol. mihi 375.
„ ubi ait : quamvis unus ſolus ſit talis opi-
„ nionis auctor, ſi tamen ſapiens maxime
„ cognitus, & probatus ſit, ſufficit ad illam
„ probabilem efficiendam, niſi alias conſtet
„ ab omnibus improbari „.

Aliis deinde quibuſdam Scriptorum teſtimoniis deſcriptis rem ita concludit :
„ Quibus adde Joſephum Rocafful in prax.
„ tom. 2. part. 3. cap. 2. num. 20., ubi ait:
„ ſi liber ſit alicujus Doctoris junioris, &
„ moderni, debet opinio cenſeri probabi-

„ lis,

„ lis, dum non constet rejectam esse a Sede
„ Apostolica tamquam improbabilem „.

Quid quaeris? Haec ipsa est damnata propositio, quam probat nihil haesitans Guimenius, & ad similem Tanneri confirmandam affert. Ubi est igitur, quam evidentem appellas, Concinae impostura? Ubi impotens ejus libido, ut dicis initio capitis, *affingendi Jesuitis propositiones damnatas*? Nam, praeter Moyam, Tannerus ecce, qui in eodem errore versatur. Et praeter Tannerum, ut tibi cumulate de hac impostura respondeam, etiam Sanchesium, Fabrum, & Tamburinum eundem errorem defendisse contendo.

CLXX. At nunc de Moya; nam responsuros vos puto, primum non probare hoc loco Moyam sententiam, quae damnata est: *Si liber sit alicujus junioris* &c., sed aliam Tanneri: *Quamvis opinio sit falsa* &c., quae a damnata plurimum discrepat: deinde Moyam in eo libro historici functum esse officio, assensionemque, cum de his sententiis ageret, omnino cohibuisse; sed utrum horum sit deterius, non est facile dictu. Nam primum, de quo, cum ad Terillum venero, disputabo, inane reddit decretum Ecclesiae: alterum, quod jam ab Eusebio Eraniste

niste epist. 38. §. 2. egregie confutatum est, nec a vobis sine magno errore, nec sine mendacio a Guimenio potuit affirmari.

Pergis nihilominus, atque Guimenium nihil in eo libro affirmasse, nihil omnino approbasse, sed tantum plerasque morum sententias ex variis auctoribus collegisse testem esse, inquis, Guimenium ipsum, qui in opere *select. disput. loco citato* de illa subscriptione ita pronunciat: „ Hac ratione, „ quia revisores librorum non rite funguntur officio suo, experimur quotidie, opiniones plures ab antiquis, & modernis traditas, & typis datas, jure fuisse ab Ecclesia damnatas: quarum plures adduxi *in opusculo pro Jesuitis*, nulli vero suffragium adjungens, nec probabilitatem ullam adstruens; sed quaestionem facti pro Jesuitarum vindiciis instituens, ut imposturas aperirem, & a laxonum nota innoxios, auctoribus suis opinionibus restitutis, demonstrarem. Quarum ad viginti, quae in praefato opusculo ex variis Doctoribus justae defensionis causa fideliter excerptae referuntur, ut minimum, ut scandalosas, inter alias damnavit SS. PP. Alexander VII. ann. 1665., & 1666., & fere omnes ipse reprobaveram in editione

„ Ma-

„ Madritensi ann. 1664. Quarum syllabum
„ feci in libello supplici ad Em.S.R.E. Car-
„ dinales. Inter damnatas autem die 24.
„ Septembris ann. 1665. vigesima septima
„ est, quam in praesenti reijcimus: si liber
„ sit alicujus junioris & moderni, debet
„ opinio censeri probabilis, dum non con-
„ stet rejectam esse a Sede Apostolica, tam-
„ quam improbabilem. Non ergo sufficit,
„ quod opinio in libro moderni reperiatur,
„ ne quod ab Ecclesia damnata non fuerit,
„ ut probabilis censeatur „.

Etsi Bala in eandem curam incubuit, ut Moyam in opere, quod Amadei Guimenii nomine circumfertur, nihil approbasse pervinceret, non est ausus tamen ad id confirmandum hunc proferre locum, veritus, opinor, ne, si protulisset, accusaretur Moya ab Eusebio Eraniste manifesti mendacii, quippe qui, quod in eo libro accurate praestiterat, ut eas sententias reprehensioni obnoxias non esse pugnaret, id se postea praestitisse negaret: at tu horum nihil omnino veritus es, sicque confidenter sane, Concinam acriter urgere non dubitas: „ Igitur,
„ ut dicebam, Terillus, & Moya opinionem
„ proscriptam non modo non docent, non
„ modo expressissime reijciunt; sed gaudent

„ ju-

„ judicium ſuum ab Eccleſiae damnatione
„ confirmatum fuiſse. Et nihilominus juxta
„ ta P. Concinam opinionem Terilli, &
„ Moyae anathemate confixit Eccleſia Ro-
„ mana „. Itane vero? Sententiam, quae damnata eſt, non approbat Moya in eo opere, ubi ſe nominat Amadeum Guimenium? At illud teſtimonium, quod ſupra deſcripſi, imprimiſque verba illa, ne totum rurſus exſcribam: „ En quot Doctores militent
„ pro ſententia Tanneri, cujus unius aucto-
„ ritas ſufficeret ad efficiendam probabi-
„ lem &c. „ haec, inquam, verba quid ſibi volunt? Quid ſignificant? An non ſunt ajentis, approbantis, atque adeo arcte retinentis id, de quo diſputat?

De ceteris ejus libelli ſententiis quid dicam? Mirari licet confidentiam veſtram, qua Moyam hiſtorici tantum officio functum eſse dicitis, cum ſi tantum in manus ſumatur opus Guimenii, atque ejus etiam, quam ipſe laudat, & ego prae manibus habeo, editionis, quae Matriti curata eſt ann. 1664. facile conſtet, in id maxime incubuiſse Guimenium, ut eas ſententias probabiles eſse pervinceret, & Anonymum, neſcio quem, qui eas edito libello acriter reprehenderat, in magno errore verſatum eſ-

esse demonstraret. Atque ego, ne sit necesse de singulis dicere, quod nimis longum esset, dicam universim, cum ex proemio, ubi scribendi consilium lectoribus aperit, tum ex operis conclusione, ubi quid tandem in toto libello praestiterit, luculenter exponit, facile ostendi posse, nihil aliud propositum fuisse Moyae, quam, quod dixi, ipsique negatis, ut eas sententias approbatione dignas esse demonstraret. Quod si quaeras, cur hoc labore non supersedeam, cum idem strenue, accurateque suo more praestiterit loc. cit. Eusebius Eranistes, respondeo, haec ad te ita scribi, ut etiam in aliorum manus, non solum Italorum, sed etiam Gallorum, Hispanorum, Germanorumque perveniant. Quare cum Eusebius Italice scripserit, scribendum de iisdem rebus latine est, ne cuiquam, quem haec studia delectent, huic loco, quo Concinam vehementer urges, minus plene satisfactum esse videatur. Itaque recita sententiam Moyae.

„ Et quia nullum pro veritate doctrinae,
„ nedum probabilitate, qua moralis Theo-
„ logia contenta est, testimonium majus,
„ quam ab omnium Magistro D. Thoma,
„ ejusque discipulis originem duxisse, il-
„ lorum fidelissime transcriptis verbis, suf-

„ fragia referam, satisque mihi gloriae re-
„ linquetur, si cum Augustino epist. 15.
„ Anonymo reprehendenti respondere
„ possim: reprehendi non meruit, quod
„ recte defendi potest „. Haec Moya in proemio. Quid autem expectas, ut earum sententiarum non solum exscriptorem, sed etiam approbatorem Moyam fuisse fatearis? An ut effutiat eas ex Evangelio esse depromptas? Qui sibi proposuit evincere eas sententias recte defendi posse, reprehendi autem nullo modo, is ne tantum demonstrare voluit, qui primi fuissent earum sententiarum auctores? Ita quidem vos dicitis, & idem ipse Moya scripsit in opere select. disput. postquam vidit opus illud dignum odio, atque execratione vulgo judicari, atque (sententiis, quae in eo continerentur prope viginti ab Alexandro VII. proscriptis, libroque ipso a Magistratibus igni damnato) in tantam se invidiam incurrisse, in quantam maximam necesse fuit incurrere eum, qui tot sententias partim damnatas, partim damnatione dignas propugnasset. Ceterum nemo est tam haebes, tamque expers latini sermonis, qui si vel obiter opus Guimenii legat, non statim intelligat Moyam eo consilio ad scribendum accessisse, non ut

ca-

earum ſententiarum auctores tantum proferret, ſed ut his prolatis, evinceret erraſſe Anonymum, qui eas ſententias cenſura notaſset, quae cum a multis, & tam claris auctoribus propugnatae fuiſsent, ſin minus verae, at certe probabiles haberi deberent: „ hoc eſt, inquit Moya in extremo proe„ mio, argumentum hujus opuſculi irrefra„ gabile, inexpugnabile. Quod condem„ nare ille tantum poterit, qui vel inten„ tum aſsecutus non fuerit, vel proportio„ nem, & efficaciam mediorum non perca„ luerit „.

CLXXI. Quod ipſum in operis concluſione, ubi cauſsam perorat, clariſſime perſpicitur. Audi mi Noceti, quodnam Moyae fuerit ſcribendi conſilium, quidve ſe in toto opere praeſtitiſse glorietur: „ Concluſio ex „ praemiſſis. Ex dictis jam apparet. Qua „ veritate? quo jure? quo zelo? Anony„ mus in ſuo garriat libello propoſitiones „ praeobjectas Jeſuitarum eſse commenta, „ falſas, improbabiles, ſcandaloſas, te„ merarias, & erroneas. Qua veritate? „ profecto nulla, ut ſingulas percurrens „ oſtendi. Nam quomodo Jeſuitarum com„ menta, ſi ab antiquioribus Magiſtris ac„ ceperunt? Quomodo tam ſevera cenſura

„ notandae, cum plerumque, ut vidimus, „ inter Doctores communes sint? Ubi temeritas? ubi error? &c.„

Ubi veritas? inquam ego. Ubi Fides? Ubi Theologus? Qui ita scripserat, qui isto modo caufsam egerat suorum Casuistarum, quo pacto scribere deinceps potuit loco abs te cit. *quaestionem se facti* in hoc libello *pro vindiciis Jesuitarum instituisse*? Qua fronte dicere ibidem: „ quarum plures adduxi in „ opusculo pro Jesuitis, nulli vero suffragium adjungens, nec probabilitatem ullam adstruens „. Itane vero? Ecquando nam adstruit Casuista probabilitatem sententiarum, si tum non adstruit, cum eas *falsas, improbabiles, scandalosas, temerarias, &* *erroneas* dici non sustinet: cum recte defendi posse contendit, & eum, qui negat, data opera refellendum suscipit, & alienum a veritate esse declarat. Sed ego ineptus sim, si de re plane perspicua pluribus disputem. Constet enim inter omnes, qui vel mediocriter latine sciunt, necesse est, Moyam, cum in opere Amadei Guimenii probabiles esse defenderit eas sententias, quas ex variis Casuistis collegerat, contenderitque ab Anonymo per summam injuriam censura esse notatas, cumque postea id se praestitisse

nega-

negaverit, & *facti* modo quaestionem instituisse dixerit, omnino esse mentitum. Non enim dici potest, idcirco negasse, quod, cum scriberet opus *selectarum disputationum*, non reminisceretur eorum, quae diu ante scripserat in opere *Amadei Guimenii*; cum de hoc opere saepe memoret, atque adeo defendat in altero *selectarum disputationum*; ex quo intelligitur, eum, cum hoc posterius scriberet, illud primum prae manibus habuisse, quaeque in eo scripserat non memoriâ modo, sed etiam legendo repetere potuisse.

Quum res ita se habeat, quae vestra huic loco futura sit responsio, quae defensio, quod perfugium nec suspicari quidem possum. Dicetis ne non legisse, aut expendisse vos librum, quem continenter in manibus habetis, atque ex eo tamquam ex thesauro quodam omnia depromitis, quae nobis, de defensis a Thoma, ceterisque Dominicanis iis morum sententiis, quae in vestris reprehenduntur, quotidie vociferamini? Quamquam ne hoc quidem esse vobis praesidio posset. Non enim temeritate caret, Concinam, qui Guimenium diligenter expenderit, ab iis negligentiae, atque (quod multo est gravius) malae fidei argui,

qui Guimenium ipsum, sive non legerint, sive negligenter legerint. Quare alterutrum fateamini oportet, aut temere reprehendisse vos id, quod Concina scripsit de Guimenio; aut ipsius Guimenii abusos esse mendacio ad Concinam accusandum.

CLXXII. Sed jam pauca dicamus de Terillo. Hujus testimonium profers ex tract. de Conscientia probab. quaest. 6. assert. 10. in qua sic est: ,, Verum laus Deo, illa (Ecclesia ,, Romana) non tacet, sed sub sollicita cu- ,, ra supremi Pastoris ad corrigendas laxas ,, opiniones in re morali desudat,,. (Quasi vero Turcae, aut Malabari, non novi Casuistae, quorum hic est princeps, hujus sudoris caussas attulerint). ,, Nam ann. 1665. ,, die 24. Septembris approbante Sanctissi- ,, mo exiit decretum, in quo 28. proposi- ,, tiones ad mores spectantes damnantur.... ,, Inter has propositiones penultima ex ,, condemnatis ita se habet: *si liber sit ali-* ,, *cujus junioris & moderni, debet opinio cen-* ,, *seri probabilis, dum non constet rejectam* ,, *esse a Sede Apostolica tamquam improba-* ,, *bilem*. En propositio, quam lumine ra- ,, tionis evidenter falsam esse noveram, cu- ,, jusque falsitatem hic demonstravi, jam ,, ab Apostolica Sede ad minimum damnata ,, est, ut scandalosa,,. Hic

Hic rursum vide, quam recte ex eo, quod scripsit Terillus post promulgatum ann. 1665. Alexandri VII. decretum, evincere possis, probatam eidem minime fuisse sententiam, quae hoc decreto reprobatur. Et vero quis umquam meminit istius tractatus Terilli de conscientia? A quo demum indicatum vidisti? Ab Concina ne, an ab Budaeo? Ab neutro sane. Nam Concina ut dixi, nullum memorat opus, nullumque indicat horum Casuistarum locum, sed Budaei verba tantum exscribit; hic autem quo loco defenderit Terillus sententiam, de qua disputamus, demonstrat hoc modo: *In regula morum contra Elizaldum.* Quare probarit Terillus, aut non probarit, ut ipse dicis, loco abs te indicato, proscriptam opinionem, non ex tractatu de conscientia, sed ex ea, quam Budaeus laudat, *regula morum* inquiri debet.

Hoc opus ego videre non potui, at ne multum quidem desideravi, eo quod haberem ex hoc ipso, quem laudas tract. *de conscientia*, quid tibi responderem; ludere ibidem Terillum, & quamquam verborum ambagibus rem implicare, atque involvere conetur, defendere tamen, quam sibi numquam placuisse dicit, proscriptam opi-

nionem. Si autem eam defendit post promulgatum Alexandri decretum, & ubi se eam reijcere dicit, quid censes fecisse tum, cum nondum damnata erat, & eam cuivis tueri licebat?

CLXXIII. Miraberis fortasse, paradoxumque esse dices, quod affirmo de Terillo. Sed age, recita quae scribit Terillus assert. 14. & 15. „ Singularis Doctor potest reddere
„ suam sententiam probabilem contra com-
„ munem aliorum omnium, sed non aliter,
„ quam si solide respondeat omnibus in
„ contrarium allatis, & nova, tantique mo-
„ menti argumenta pro sua opinione affe-
„ rat, ut ea apta sint ad movendum virum
„ peritum, & probum absque indebita ani-
„ mi passione judicantem, ad recedendum
„ a communi opinione, & ad peculiarem
„ illam sententiam amplectendam „. Hujus similis est assertio 15., ubi de Vasquesio, & Turriano, quorum sibi opponit contrariam auctoritatem, ita respondet:
„ tam Vasquem, quam Turrianum,
„ aliosque, si qui sint, cum illi sentien-
„ tes, re ipsa non discordare a communi,
„ eaque certissima sententia; nam illi lo-
„ quuntur de probabilitate intrinseca, quae
„ numquam certo innotescit per assertio-
„ nem

„ nem unius viri periti, etsi loquatur de re
„ quam alii non tractarunt, nedum si sin-
„ gularis sit, contra sententiam commu-
„ nem, uti saepe dictum est. At nos loqui-
„ mur de probabilitate extrinseca, eamque
„ dicimus esse certam, eo quod unius au-
„ ctoritas, qui novis, gravibusque ratio-
„ nibus movetur ad singularem opinionem,
„ manifeste ad hoc sufficiat &c.„ Quid est, amabo te, si hæc Moyae, & Tanneri doctrina non est, quae unius junioris, etiamsi cum ceteris pugnet opinioni *extrinsecam* tribuit probabilitatem? Et Terillo quidem cum Tannero, & Moya convenire facile dabis, at Terilli, Moyae, & Tanneri sententiam nihil ab ea, quae damnata est, discrepare negabis. Sed si locum Moyae, quem supra descripsi, attente considerabis, nihil minus negare te posse videbis, quam nihil ab damnata horum Casuistarum discrepare sententia. Nam, quorsum Moya, ut evinceret, sententiam Tanneri fere communem esse *inter Doctores*, laudasset, praeter alios, etiam Rocafful ejusque protulisset testimonium: *si liber sit alicujus junioris* &c., quae est propositio damnata, si quidquam inter hanc, & Tanneri propositionem interesse putasset? An quisquam doctrinam, quam tuetur, aliorum au-

auctoritate, testimoniisque confirmare nititur, nisi eos, quos laudat, in eandem sententiam locutos fuisse arbitretur? Scio, Moyam post decretum Alexandri VII. conatum esse loco abs te cit. *select. disput.* proscriptam propositionem ita interpretari, ut nihil cum sententia Tanneri, aliorumque Casuistarum de *extrinseca*, ut vocant, probabilitate, ex unius junioris auctoritate petita commune habere videatur. Sed hoc ipsum ostendit fraudem Casuistarum, qui, si cujuspiam opinationem Ecclesia proscripserit, e vestigio aliquid comminiscuntur, ut eam ab suis differre pervincant; quamvis antea nihil differre judicassent, ejusque auctorem, ut sibi consentientem adduxissent. Ex qua re intelligitur id eos facere, quod homines plerumque solent, qui eum, qui in honore est, opibusque, & gratia praestat, colunt, diligunt, in caelum laudibus efferunt: sed eumdem ipsum, simul ac adversa fortuna, statu suo dejectum esse animadverterint, statim deserunt, contemnunt, interdum etiam ea, qua premitur, dignum praedicant calamitate. Hoc fere modo agunt Casuistae, cujus rei permulta ex *Trutina* Vivae petere possem exempla; sed eo, quod in manibus est, contentus ero. Nam Moya ecce, qui unum,

unum, eundemque Roccafful, ante decretum Alexandri VII., cum Tannero, ceterisque Casuistis mirifice consentire praedicat, edito autem decreto ab iisdem magnopere discrepare contendit.

CLXXIV. Quin etiam quam Moya adducit caussa, ut Roccafful a Tannero discrepare, ostendat, commentitia, & ab sententia Roccafful prorsus aliena est. Ait enim loco abs te cit. propositionem illam: *Si liber sit alicujus junioris* &c. jure damnatam esse, „ quia recte stare potest auctorem libri esse „ Doctorem a gradu, non a doctrina, ju- „ niorem, & modernum, non probum, pru- „ dentem, sed audacem, & vanae gloriae „ cupidum, & turpis lucri gratia scriben- „ tem. Non ergo opinio in ejus libro re- „ perta, statim probabilis censenda, licet „ a Sede Apostolica rejecta non fuerit „.

Sed num Roccafful, ex quo sumptam esse constat damnatam propositionem quidquam tale docuit, quale Moya comminiscitur; vel ut clarius dicam, num ita expressit sententiam suam, ut in eam Moyae interpretatio convenire possit? Nihil minus. Nam idem dogma defendit de extrinseca probabilitate, quod ab Sanchesio, & ceteris Casuistis defendebatur, & quod mirabile

bile est num. 20. , ubi damnatam tradit opinionem id , quod Moya interpretatur , diligenter aversatur . Scribit enim num. 12.
„ Opinio probabilis , quam unus vel alter
„ docet an possit esse talis,& in quibus casi-
„ bus , per sequentes dubitationes discu-
„ tiendum est . Prima dubitatio . An au-
„ ctoritas unius Doctoris aliquid asserentis
„ faciat opinionem probabilem ? Respon-
„ deo affirmative . Ita Angelus .... Silve-
„ ster .... Navarrus .... Valentia .... Sà ....
„ Sanchez ...... Sancius ...... & alii apud
„ Dianam 4. p. tract. 4. resolut. 30. „
Nihil igitur ab his seorsum sentit Roccafful; nihil amplius defendit nisi doctrinam Sanchesii ex. caus. lib. 1. cap. 9. num. 7.
„ Opinio probabilis est , quae non levi in-
„ nititur fundamento.At auctoritas viri do-
„ cti , & pii non est leve fundamentum : si
„ enim non est levis momenti , sed magni
„ potius , ut aliquid Romae contigisse cre-
„ damus , id virum pium asserere : cur non
„ magni erit in re morali dubia , quod vir
„ pius , & in ea materia doctus censue-
„ rit „ ?

Hactenus Roccafful cum Sanchesio mirifice convenit. Quid igitur docet Roccafful num. 20. ubi damnatam tradit propositio-

tionem? Nihil enim quod Sanchesius reijcere possit, aut, quo improbato, non una improbari necesset sit opinionem Sanchesii. Nam quaero ex te utrum haec viri docti, & pii auctoritas, de qua loquitur Sanchesius valere debeat, sive is oretenus consulenti respondeat, sive scripto tradat, aut typis edat sententiam suam? Quasi vero, inquies, non sit ridiculum, viri docti, & pii si consulenti respondeat, gravem; si scribat, aut typis publicet sententiam suam, levem haberi oportere auctoritatem. Quid enim fieret tot voluminibus Casuistarum, si quae scripserunt, typisque ediderunt, ea minus probabilia censeri deberent, quam cum eadem consulentibus responderent. Recte dicis. Atque hoc est, quod vult Roccafful num. 20. ubi damnatum tuetur errorem: habet enim hoc modo: „ Dubitatio ultima. An opi-
„ nio, quae in aliquo libro circumfertur
„ scripta sit probabilis? Respondeo quod,
„ *si liber sit alicujus junioris, & moderni de-*
„ *bet opinio censeri probabilis, dum non con-*
„ *stet rejectam esse a Sede Apostolica tan-*
„ *quam improbabilem*. Et ratio est (atten-
„ de rationem) quia si oretenus consultus
„ Doctor gravis, id doceret, doctrina illa es-
„ set probabilis: ergo scriptis tradita & typis
man-

„ mandata erit pro probabili habenda, ma-
„ xime quia typis mandatur magna cir-
„ cumſpectione, & attentione elaboratum
„ praeſumitur, & doctorum virorum judi-
„ cio ac cenſura probatum eſt &c. „

Audiſtin? non cujuſvis auctoris, audacis, inanis gloriae cupidi, & qui ſcripſerit turpis lucri cauſſa; ſed ejus tantum, qui gravis, & pius habeatur, quemadmodum reliqui Caſuiſtae in hac controverſia loqui conſueverunt, ſtatuit Roccafful probabilem eſſe ſententiam. Quare dignus mihi videtur magna reprehenſione Guimenius, qui ita damnatam theſim interpretatus eſt, ut ei decreto, quo damnata eſt, omnem omnino vim, atque auctoritatem ademerit. Nihil enim, ſi ejus interpretatio teneatur, damnavit Eccleſia, quod ab ullo Caſuiſta unquam fuerit propugnatum. Hae tibi reſpondere debui de impoſtura, quam tibi confingere libuit; cum Concina, ut initio dixi, & me demonſtraturum promiſi, neque ſcripſe t de Moya & Terillo id, quod eum ſcripſiſſe cavillaris; neque, ſi ſcripſiſſet, quidquam iiſdem tribuiſset, quod ab eorum dictis, ſententiaque abhorreret.

Extremum eſt ut de capite libelli tui LXXIV. in quo Moyae defenſionem abſolvis

dili-

diligenter diſputem. Licet enim in eo magnum Moyae peccatum advertere; & illud fraudis genus, quo plerumque uſus eſt, ut falſarum opinionum perverſitatem Thomae, Antonini, Alberti, aliorumque Dominicanorum auctoritate, quodammodo ſive minueret, ſive tegeret. Itaque cum Concina tom. VII. pag. 373. accuſet impoſturae Guimenium ob eam cauſſam, quod ſententiam agentem *licitum eſſe exigere aliquid ultram ſortem pro obligatione non repetendi mutuum ante certum tempus* communem eſſe dixerit interpretum Divi Thomae: tu contra oportere dicis in Concinam hujus criminis invidiam recidere, quippe qui diſſimularit, nihil aliud ſcripſiſſe Guimenium de Thomiſtis, niſi quod ab Ledeſma, quem laudat, accepiſſet: idque manifeſtum eſſe verbis Guimenii, ſic ut Concinae tergi verſari non liceat: hanc ſententiam eſſe communem inter diſcipulos Divi Thomae ait Ledeſma ſupra. Tum Ledeſmae deſcripto loco, in quo id affirmat; „ Uter, inquis, „ eſt impoſtor Guimenius, an P. Concina. „

Reſpondeo nihil haeſitans Guimenium; primum quidem te ipſo judice; deinde, quod errore abuſus ſit Ledeſmae, ut falſam opinionem omnibus Thomiſtis attribueret. Nam

Nam memineris arbitror, saepius a te Concinam *imposturae* fuisse damnatum, quod ex Leandro, exque Salmanticensibus scriptores nonnullos ex numero suorum amicorum nominarit, qui perversam quampiam sententiam defendere dicerentur, quam fortasse non defenderint. Si enim, ob hanc unam rem, Concinam damnandum judicasti, damnare item Guimenium ejusdem criminis debes, qui in eadem omnino caussa versatur. An Moyae licuit uni Ledesmae de omnibus Thomistis, Concinae non licuit de uno Tamburino Salmanticensibus credere? Aut vero putasne licuisse tibi, si errassent Salmanticenses, Concinam; non licuisse, Concinae si errasset Ledesma, reprehendere Guimenium? Equidem non video quemadmodum hinc expedire te possis, nisi horum alterutrum concedas, aut saepe injuria ab te Concinam, aut non injuria ab Concina occupatum hoc loco fuisse Guimenium. Utrum vis delige, sed vide ne implicere.

Ego utrumque verum esse contendo. Nam cum unum quemvis Casuistam errasse non sit creditu difficile, immo vero, eorum plerosque fere omnes in multos, & magnos errores incidisse constet, multitudinem autem Theologorum, aut scholam universam falsum

ſam tenuiſſe ſententiam, vix ac ne vix quidem credibile videatur, manifeſtum eſt non Concinae, qui de uno quovis Caſuiſta Leandro, aut Salmanticenſibus; ſed Guimenio, qui de omnibus Thomiſtis uni credidit Ledeſmae eſſe ſuccenſendum. Et ſane quod ſcripſi epiſt. 1. num. 18. non temere eſſe credendum Caſuiſtis, cum in ſubſidium falſarum opinionum unum aliquem vocant excellentem virum, puta Thomam, Bonaventuram, Antoninum, Alenſem; ſed eum, quem laudant, a Theologo, qui diligens eſſe velit, omnino legendum; id quidem multo magis valere oportet cum ad ſuas opiniones confirmandas non unius modo excellentis viri; ſed totius ſcholae, multitudiniſque Theologorum abutuntur auctoritate. Neque vero dubito, quin, ſi Concina uni Lacroixio ex. cauſ. de univerſis Jeſuitis aliquando crediſſet, continuo exclamaſſes, magnum eſſe Concinam impoſtorem, qui, cum poſſet ex Suareſio, Vaſqueſio, aut Bellarmino multo melius, quam ex Lacroixio Jeſuitarum cognoſcere ſententiam, hunc unum tamen teſtem induxiſſet doctrinae ceterorum, ut per eum, qui erraſſet, omnes afficeret injuria, & mendacii vitaret ſuſpicionem.

CLXXVI. En fraus Guimenii, qui cum in manibus haberet, atque adeo legisset Cajetanum interpretum Thomae facile principem 2.2. quaest. 78. art. 2. huic sententiae repugnantem, maluit tamen Ledesmae abuti testimonio, quod major Cajetani auctoritas falsum esse demonstraret, quam non omnium Thomistarum suffragio falsae opinioni conciliare probabilitatem. Quod si roges, unde constet, habuisse prae manibus, atque adeo legisse Moyam, cum haec scriberet, hunc locum Cajetani, respondeo ex eo constare, quod num. 6. (quem numerum consequitur is, de quo est inter nos altercatio) Cajetanum laudet, proferatque ex eo loco testimonium hoc modo: *addit Cajetanus 2. 2. quaest.* 88. (78.) *art. 2. ad 7. quod in venditione ad creditum, seu dilata solutione* &c. Est ne credibile non legisse Moyam hujus articuli interpretationem, aut, si legit, ei sententiae, quam Ledesma interpretum D. Thomae ait esse communem, magnopere repugnare non intellexisse?

Itaque cum Moya, Thomae, Antonini, Cajetani, aliorumque Principum Thomistarum doctrinam non probaret, vel ad id, quod vellet, confirmandum parum accomodatam esse perspiceret, tum unum

ali-

aliquem requirebat minoris gentium Theologum, qui in ea interpretanda esset hallucinatus, ad Casuistarumque *laxitatem* propius accessisset, ex quo Thomæ, Antonini, aut Cajetani sententiam proferret, ut id, quod tueretur, auctoritate Thomistarum confirmaret, & per eum, quem nominaret, sibi caveret, quominus mentiri videretur. Hinc saepe videas, eum Thomae ex Ledesma, Antonini ex Serra, Cajetani, ex Baltana proferre sententiam: quod cum ipsum per se vitiosum est, cum talium virorum doctrina ex ipsis eorum voluminibus, non ex libris Casuistarum peti conveniat, praesertim cum id agitur, ut *laxae* quaedam morum sententiae, quae jam vulgo reprehenduntur, eorum auctoritate confirmentur; tum maxime in Moya reprehendendum est, qui certe Thomam, Antoninum, Cajetanum, alios antea legisset, eorumque doctrinam multum ab ea, quam Ledesma, Serra, aut Baltana proferret, discrepare cognosset. Quod si tibi videor nimium confidenter affirmare cum Moyae scribenti non adessem, ut quid ageret, & quos potissimum legeret, cognoscere possem, cogites velim, non deesse exempla, quibus haec res aperte confirmetur. Sed satis esse puto,

ne longus ſim, quod in manibus habemus, & quod, attuli cum oſtendi, eum, cum quidem Antoninum legiſset, ejuſque veram de eleemoſyna doctrinam probe cognoſset, maluiſse tamen corruptam ex Serra, quam integram ex Antonino proferre, ut virum Sanctiſſimum falſae ſententiae faviſse pervinceret. Praeterea nemini perſuadebis, ſcriptorem, qui hoc unum ſibi propoſuerat, ut eas morum ſententias, de quibus ageret, ex eo potiſſimum probabiles eſse pervinceret, quod ab Thomiſtis propugnatae fuiſsent, non primum Thomam, Albertum, Antoninum, Cajetanum, horum ſimiles, ſibi legendos putaſse, ut ex iis, qui principes eſſent, quae ſibi eſsent uſui ad eas confirmandas potiſſimum hauriret.

CLXXVII. Hactenus de crimine impoſturae, quod nullum quidem in Concina; ſane magnum, & magna cum fraude conjunctum in AmadeoGuimenio fuiſse demonſtravi. Secundum haec cantilenam inſtauras de reprehenſis ab Concina Jeſuitis, de praeteritis Dominicanis, deque cauſſis, cur ita ſe geſserit in conſcribenda chriſtiana Theologia, ad quae cum multa ſaepe reſponderim, nihil in praeſentia reſpondendum putarem, niſi extra modum prodires pag. 184. ubi ſic eſt:,, quod

,, ait

,, ait libros suos testes esse, se non minus
,, Dominicanorum opiniones, quam cete-
,, rorum data occasione refellere: ejus li-
,, bri mihi testantur oppositum. Posset
,, enim occasione refellendi sententias Je-
,, suitarum refellere ferme semper Domini-
,, canos, qui easdem propugnarunt, ut plu-
,, ries palam feci, & facturus sum ,,. Hoc vero nimium est Noceti. Tunc palam fecisti nunquam occurrere, cur refellantur Jesuitae, quin una refelli possint Dominicani? At ego palam feci, te semper errasse, quodque ab Moya, & Viva mendacissimis Scriptoribus, vel ab aliis Casuistis non satis accurate de sententiis nostrorum scriptum esset, id nullo delectu, nullaque adhibita diligentia in tuum libellum transtulisse. Palam feci cum de Lacroixio, cum de Filliuccio, cum de Laymano, cum de Gobato, & hic cum de Moya disputarem, Thomam, Antoninum, Cajetanum, Silvestrum, Sotum, Tabienam per summam injuriam, quandoque etiam per summam inscitiam in subsidium earum opinionum; quae ab his Casuistis defenderentur; esse laudatos. Palam feci in hac epistola, Moyam nihil veri, accuratique de sententiis Dominicanorum scripsisse in suo libello, quod inscripsit *Ama-*

dei Guimenii &c., sive in altero *selectarum disputationum*, sed utrumque plenum esse mendaciorum, quamquam nonnisi exiguam utriusque libelli partem attigerim. Palam feci, paucos Dominicanos, aequales probabilistarum puta Serram, Candidum, Zanardum, si minus lectione Sanchesii, Lessii, Laymani, aliorumque Casuistarum delectati fuissent, aut saltem primum Thomam, Antoninum, Cajetanum, Albertum (& ne videar similis eorum, qui nihil admirantur, aut legendum putant, nisi quod scribitur a suis, a qua insania longissime absum) Alensem, Bonaventuram, Toletum, Bellarminum consuluissent, minus malos, majorumque suorum minus dissimiles futuros fuisse Theologos. Nam pleraque opinionum portenta, quae defenduntur ab Castropalao de juramento, ab Tamburino de calumnia, ab Lessio de usura, ab Molina de peccato philosophico, ab aliis Casuistis de vindicta, de blasphemia, deque aliis vitiorum generibus, non esse ab Dominicanis profecta, cum constet inter omnes, ut planum facerem necesse non erat. Ne illud quidem necesse fuit a me commemorari, nullas scriptas esse ab Dominicanis pro Soto, pro Silvestro, pro Cajetano apolo-

logias, nullum bellum susceptum cum Parochis, cum Episcopis, cum Ordinis Magistro prò probabilismo, aut falsis opinionibus a censura vindicandis; nullum initum foedus cum extraneis Theologis, ut conjunctis viribus fortiores essent ad resistendum iis, qui monstrosas opiniones oppugnandas censerent, propereaquod perspicuum esset, apud quos horum facinorum exempla reperirentur. Intellige Noceti quid est. Si vis, cum reprehenditur ex. caus. Lessius, non inepte obiicere de Soto, ostendas oportet ita ab vobis in Lessio, ut a Dominicanis in Soto factum esse errandi finem; nam si confiteris, aut regerere quisquam in te poterit, Lessium Sanchesio; Sanchesium Laymano, Laymanum Tamburino; Tamburinum Gobato; Gobatum Lacroixio; hunc tibi errorem tradidisse; nemo te aequum facere existimabit, si ab Lacroixio redire te posse putabis ad Sotum, & hujus exemplo pervincere pari in errore versatos esse Dominicanos, quasi parem eorum, qui errorem nunquam probarunt, atque eorum, qui ejusdem retinentissimi fuerunt, oporteat esse conditionem. Enim vero haec omnia, ut recte explicentur, planeque ad veritatem demonstrent, pudere jam vos debere istius perfugii,

&cum cathalogos a vobis confectos errorum Cajetani, Soti, Silvestri, aliorumque Dominicanorum plenos esse mendaciorum, tum ubi veros eorum continent errores, nihil vobis suffragari separatum desiderant volumen, quod cum res nostrae eo statu erunt, quo esse debent, continuo edendum curabimus.

CLXXVIII. Unum restat adhuc discrimen inter Dominicanos, & Jesuitas, quod licet attigerim, rursus tamen, ut huic reprehensioni cumulate satisfaciam, indicare volo: novos Casuistas, quorum pars maxima Jesuitae fuerunt, non solum veterum errores instaurasse, sed etiam multos novos, eosdemque longe graviores introduxisse; quod negare non potes cum haec fuerit Alexandri VII. princeps de Casuistis querimonia: „ complures opiniones Christianae disci„ plinae relaxativas, & animarum perni„ ciem inferentes partim antiquatas ite„ rum suscitari, partim noviter prodire „. Quare licuit Concinae praeteritis antiquis scholasticis, eos tantum divexare, quorum opera, & antiquorum errata in lucem notitiamque vulgi adducta, & nova pleraque introducta fuissent. Cur enim veteres, & præsertim Dominicanos divexaret, quos Pon-

Pontifex hoc suo decreto magnopere laudaret? Ne nega. Nam si Pontifex testatur, istas opiniones, quas a veteribus novi Casuistae (hoc est,ut tu loqui soles,a Dominicanis Magistris Jesuitae discipuli) acceperunt, antiquatas fuisse; quorum id opera, aut voluntate accidisse putandum est, nisi ipsorum Dominicanorum, qui unum Thomam secuti nunquam probarint errata ceterorum? Et vero cum fieri non potuerit, ut hae opiniones obsolescerent, nisi ab Theologis, qui deinceps fuerunt, rejectae, improbatae, aut saltem neglectae fuisent, evidens est ab iis imprimis neglectas fuisse, quibus magis notae erant, quorumque intererat majorum suorum doctrinam propagare. Laudantur igitur hoc loco Dominicani, qui nullo erga suos studio corrupti, quae in eorum libris a veritate aliena esse cognossent, ea libenter obsolescere sivisent.

CLXXIX.Non me latet,vos,cum a scriptore hæc caussa affertur,veteres omittēdi,&novos accusandi Casuistas, dicere solere sumptam esse ex Paschali, & Wendrochio.Et vero tuipse scribis hoc in capite pag.185.„Demum „ allatam excusationem P. Concina didicit „ a Wendrochio, acerrimo illo Societatis „ hoste, qui literas provinciales latinas

„ fe-

„ fecit .... in notis praeambulis ad quintam Epiſtolam Provincialem nota 3. *Quaeruntur deinde ſibi tribui, quod ab aliis ipſi acceperint* „: Animadverte quaeſo veterem eſse hanc cantilenam, quam quidem ad haec uſque tempora continuaſtis. Quid eſt per Deum immortalem! An quod ab aliis accepiſtis dimittere non poteſtis; aut quod ſemel acceperitis ſatis eſse cauſsae putatis, cur illud, ſive bonum ſive malum ſit, ſemper retineatis? Nonne ſimiliter facitis, ac ſi quis capite damnatus, quod hominem necaviſſet, reſponderet, injuria damnari ſe, indemnatumque dimitti eum, qui ſibi olim gladium vendidiſset: Sed videamus quid reſpondeat Wendrochius: „ *Reſpondetur .... alii ſcriptores fere ſibi peccant, aut certe non multis: Jeſuitae toti Eccleſiae peccant; quam ubique ſuis novitatibus inficiunt.* „ Latebant haec dogmata in Bibliothecarum angulis, *paucis*, nota *paucis nocebant.* „ *At ipſa Jeſuitae ſuper tecta praedicarunt, in aulas Regum, in familias privatorum, in curias Magiſtratuum invexerunt* „.

Hactenus Wendrochius; quibus deſcriptis „ conferant, inquis, lectores ejuſmodi excuſationes inter ſe, & videbunt

„ non

,, non esse multum absimiles ,, . Conferant per me licet , & non solum non absimiles , sed etiam prorsus easdem esse arbitrentur . Sed conferant etiam ea , quae scribit Wendrochius, cum initio decreti Alexandri VII. Quid est? Num conturbo te? At sero te poenitet criminationis tuae . Nam cum intelligi nullo modo possit , quod tandem discrimen intercedat inter illa Wendrochii verba: *latebant haec dogmata in Bibliothecarum angulis* : & illa Alexandri VII. *complures opiniones Christianae disciplinae relaxativas , & animarum perniciem inferentes partim antiquatas iterum suscitari* : hoc uno excepto , quod Wendrochius Jesuitas nominat , Alexander non item, scire velim, uter utrum compilarit , Alexander ne Wendrochium , an Wendrochius Alexandrum . Cum sciam , ecquid huic quaestioni respondendum putes , tum facile de Concina respondebo : nihil enim dices , quod in Concinam quadrare , criminationemque tuam ridiculam esse ostendere non possit .

CLXXX. Sumpserit tamen Concina, quando ita vis , omnino ex Wendrochio istam excusationem . Quid igitur ? An ulla lege cautum erat ne Concina Wendrochium , atque adeo Paschalem attingeret , aut ne quidquam,

quam, cujusque modi esset ab iis acciperet? Quid est quod syllabam scribere non possitis; quin, quajure quaque injuria, Paschalem, & Wendrochium obijciatis, perinde quasi arbitrii vestri esse oporteat, ecqui demum cuique legendi sint auctores; aut nihil omnino in Paschali, & Wendrochio reperiatur magnopere probandum; cum tamen, ut nihil dicam de elegantia, qua viros doctos in legendo scripto retinere possunt, constet inter omnes, quas illi improbaverunt Casuistarum sententias, earum magnam partem improbasse paullo post decreto suo Alexandrum VII. qua re nihil optatius, nihil ad veram laudem gloriosius scriptori, te ipso judice, accidere potest. Nam cum supra ad Moyae, & Terilli laudem pertinere dixeris, quod eorum de ea sententia: *si liber fuerit alicujus junioris* &c. judicium congruens semper fuerit, (quod falsum est) cum Ecclesiae judicio; cur ad Paschalis, & Wendrochii magnam laudem pertinere non debet, quod eorum de tot opinionibus Casuistarum tam illustre, & cum Ecclesiae judicio congruens fuerit praejudicium?

At Paschalis, inquies, & Wendrochius damnati sunt. Quid enim aliud diceres potes? Fateor id quidem, & eos magno

gno merito ſuo damnatos eſſe fateor. Sed dic, amabo te, Moya quid factum eſt? An hic in numerum Doctorum Eccleſiae relatus fuit? Non poteras, mihi crede, magis alieno loco obijcere de Wendrochio, & Paſchali, quam ubi ageres de Moya tam dirum in modum exſecrato Caſuiſta, ut ſi tantum valuiſſet, quantum certe valere debuiſſet Eccleſiae auctoritas, jam nullum, quod legi poſſet, ejus operis exemplum haberemus. Nullum enim flammis ſupereſſe debuiſſet. Itaque cum damnatiſſimum Caſuiſtam, quem nunquam nominare deberes, non ſolum legas, ſed etiam probes, atque defendas, qua ratione exprobrare Concinae potes, quod legerit, atque adeo compilarit Wendrochium & Paſchalem? An tibi licet, Concinae non licet damnatos legere auctores? Intellige quid eſt. Dum in manibus habebis, dum leges, dum amplexaberis Guimenium, non tu quidem nobis ſtomachum facies, ut vobis facere videtur, qui legit Wendrochium, & Paſchalem; cur enim iniquo animo feramus legi a vobis ſcriptorem, qui vos tam multa peccare coegit? Sed certe queri non poteris legi ab aliis Wendrochium, & Paſchalem, quin a ſapientibus irridearis. Sed jam me taedet

pluia

plura ſcribere de Moya, deque tuis tam magnis erratis in eo vindicando, ut horum unumquodlibet, pauciſſimis Concinae quae in Chriſtiana Theologia inciderunt, gravius reperiatur. Vale.